Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Ludwig Fabricius

J. L. F. Meditatio De Controversia Circa Personam Christi inter Evangelicos agitata

Heidelbergae: Heidelbergae: Rudigerus: Delborn, 1685

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

68.

KB NB 0205.1-7

Regional-
bibliothek
Neubrandenburg

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1018476466/phys_0002

Mecklenburg
Vorpommern

Index Mater.

1. Buxtorfii Dissertationes.
2. Fabricii ΔΙΑΛΕΞΕΙΣ de Limitibg Vfe, quii.
3. — Exerd. Apologetica pro Genere humano.
4. Meieri Observationes de S. Scriptura.
5. Joingii Exercitationes Historicæ.

Nr. 53.

Frequentatur
Mag

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0004
Mecklenburg Vorpommern

J. L. F.

MEDITATIO

De

CONTROVERSIA

Circa

Perſonam Chriſti inter Evangelicos agitatâ

Quâ

Eam in ſolis loquendi formulis & Scholaſticorum terminorum ambiguitatibus conſiſtere, adeoque revera nullam eſſe, dilucidè demonſtratur.



HEIDELBERGÆ,
Impenſis Joh. Michaelis Rudigeri.

Typis Philippi Delborni. Anno 1685.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0005
Mecklenburg Vorpommern



Regional-
bibliothek
Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1018476466/phys_0006
Mecklenburg
Vorpommern

ΔΙΑΛΕΞΙΣ

Circa

Controversiam

De

PERSONA CHRISTI.

IN umbrosis Myrteti vallibus, quas Nicer interluit, deambulabant nuper EIRENOPHILUS & PHILALETHES, fatiscentem curis laboribusque animum relaxaturi. Quæ laudatissima Eorum est consuetudo, de rebus sacris disserta-bant, ac varias quibus Orbis Christianus turbatur atque dilaceratur sectas recensendo, afflictam Ecclesiæ conditionem lamentabantur, cùm tandem *Philalethes*; Ita quidem est insit, mi *Eirenophile*, Pacem atque Caritatis studium ante omnia commendavit Servator Noster, sed eâ tamen conditione, ne quid inde Veritas detrimenti capiat. Ille enim animi erga Deum affectus qui errori atque falsæ persuasioni innititur, non pietas dicendus est sed superstitio. Quid si verò, inquit *Eirenophilus*, de iis capitibus acerbè nonnunquam & hostiliter contendamus, quæ ad pietatem nihil omninò conferunt, quæque utut se habeant, genuinum amorem adversus Deum ac debitum erga homines officium nec promovent nec impediunt? Quid si de iis quoque interdum dimicemus, de quibus revera nullus inter nos est dissensus, ubi neuter errat, nisi eo solùm

quòd alterum errare credit sibique adversarium fingit? Id verò existimo quàm sæpissimè evenire. Ut enim de aperto illo obloquendi & jurgandi studio, quo multi cæterà eximii Viri laborant, nihil dicam, insidet profectò omnium fere animis occulta quædam & subtilis arrogantia, quâ fit ut semel susceptum bellum non facile deserant, mâlintque animosius disceptando victores ac superiores videri, quàm modestâ conciliatione & pacificatione in imbecillitatis, propriarum virium diffidentiæ, vel erroris etiam aut incogitantiæ suspicionem incidere. Adæstuat interdum prærapidus ingenii fervor, quo fit, ut de iis, quæ paululum obscuriùs aut in commodiùs dicta sunt, præceps judicium feramus, nec adversariorum sententiam quâ par erat patientiâ audiamus; ubi verò de Antagonista vel semel iniquius sentire cœpimus, tùm quicquid ille dicit in pejorem partem rapere proclives aliud ex alio bellum serimus, & quæ optimè atque innocentissimè dicta sunt in novam altercandi materiem convertimus. Multùm quoque eo facit præpostera illa quæ in scholis hodie obtinet disputandi ratio, quâ non, quod fieri debebat, à notioribus principiis recto progressu ad obscuriores veritates penetramus, sed ex incognitis, dubiis, ambiguis retrogrado errore ad notiora conamur relabi. Extremas verò tenebras offundit barbarailla ingeniorum corruptrix, judicii vastatrix, eloquentiæ inimica, prodigiosarum tum cogitationum tùm locutionum mater sophistica, quâ nihil nisi vitilitigare & inanibus mente ac sensu cassis vocibus tùm nobis tùm aliis imponere docemur. Ex istis causis sæpe numero accidit, ut ubi nulla reverâ est dissensûs ratio, magno clamore & ardenti studio prælia misceamus. Ejus rei exempla quàm multa deprehendisse mihi videor, ex quibus nunc unum Tibi ostendisse sufficiat. Intellecta Tibi, & mi *Philalethes*, sæpiùs deplorata, quæ multis retrò annis inter Ecclesias Protestantes nimiâ contētione agitatur, controversia de *Persona Christi*; ubi altera pars *Eutychianismi*, altera *Nestorianismi* damnatorum errorum *accusātur*; Illi Deum cũ Homine confundere, Hi sepcrare atq; divellere dicũtur. Ego verò

cùm

cùm in hoc ipso nemoris secessu tacitus nuper ista mecum perpenderem, mihi omninò visum est nihil inter litigantes partes intercedere discriminis, omnemque contentionem in solis loquendi modis & verborum ambiguitatibus consistere. Gaudeo oblatam mihi occasionem, ut quæ in eam rem cogitavi tecum communicem; quin mihi adstipulaturus sis, non dubito, modò patientem adhibeas aurem. Non animus quidem est, quicquid ab utraque parte vel duriusculè vel obscurè dictum fuit, defendere vel diluere: abunde Tibi satisfactum iri spero, si communem utriusque Ecclesiæ sententiam contulero. *Flacios* non laudabo, nec *Schmidlinos*, sed nec *Calixtos*; si quo opus erit interprete ac teste, illum ipsum quem tanti æstimas, & qui in exponendo suorum dogmate nemini hodie suspectus est, singularis eruditionis & præstantis ingenii Theologum *Gerhardum* non detrectabis. Quamvis Ille acriter contra *Wendelinum* de hac ipsa materie disputaverit, ostendam tamen ab ecclesiæ Reformatæ doctrina Eum reverâ non discedere.

PHIL. Arduum quid polliceris, mi *Eirenophile*, quò minùs quæ moliris mihi hactenus expectata sunt, eò magis ut percipiam intendam animum.

EIREN. Primùm equidem docet Catholica Fides, estque illud extra omnem internos Controversiam positum; operum fœdere, quod publico nomine Adamus cum Deo contraxerat, violato omnique adeò genere humano in extremam perniciem prolapso, salutis januam nemini patuisse, nisi præstitâ perfectâ, quam Dei Justitia & Lex postulabant, satisfactione & obedientiâ. Noxa à nobis commissa infiniti erat demeriti, infinito proinde merito diluenda. At infinitũ pretiũ exsolvere nõ potest nisi qui infinitas divitias possidet; eas vero nẽo possidet præter Deũ. Necesse igitur erat ut Fidejussor ac Redemtor noster ipse esset Deus, qui offensam respectu *objecti* infinitam satisfactione respectu *subjecti* infinitâ exhauriret. At qui non nisi Deus est, nec pati poterat nec obedire, adeoque nec nostro loco sustituti. Qui nostram in se erat transla-

laturus obligationem, ut quæ Homines debebant præstaret, hominem quoque esse oportebat. Unde & Deum & Hominem *Eundem* esse debere manifestè sequitur: Hominem scilicet, ut posset obedire ac pati, Deum ut obedientiæ ac passioni infinitum inferret pondus. Dico, *Eundem* debere esse. Quòd si enim *Alius* esset Deus & *Alius* Homo, jam nec Deus pati potuisset, nec Homo immensum λύτρον exolvere: nec *Deus proprio sanguine Ecclesiam redemisset, nec Unus esset Mediator Christus Homo.* Etenim infinita est Dei Majestas atque Dignitas, sed quid momenti illa confert ad Hominis cruciatus, si Homo ille non Idem sit Ipse Deus? Ecquid Deus passus dicitur, si Deus non idem sit ipse Homo? Rectè igitur damnatus fuit Nestorii error, qui divellendo Christum, redemtionis nostræ fundamentum convellit, spemque adeò omnem salutis evertit. Damnamus igitur & nos ac toto pectore geteſtamur dogmata illa omnia, quibus Christus *divisus* exhibetur, quasi *Alius* esset Deus, *Alius* Homo; quasi non, ut ita dicam, in unum idemque suppositum, in unam eandemque personam arctissimè coaluissent. Ut autem ex una parte contra Nestorii blasphemias Christum *Eundem* Deum & Hominem esse defendimus, ita contra *Eutychis* Asseclas Divinam Humanamque in Ipso naturas nec inter se *confusas* & contemperatione quadam *immixtas*, nec in se invicem *transmutatas* statuimus. Non equidem *commixtione confusas.* Quàm absurdum enim, eam infinitæ essentiæ cum finita crasin fingere, quâ alteratis, solutis & incisis utriusque particulis tertia quædam natura emergat, ut nec Deus maneat nec fiat homo? Non *transmutatas.* Nec enim æternum atque immutabile Numen in creatam substantiam converti, nec quæ certo tempore existere cœpit Natura in Deitatem transsubstantiari potest. Certè sic Christus Deus & Homo non esset, sed vel homo ex Deo, vel Deus ex homine factitius. Quocirca & Nos ea omnia improbamus dogmata, quibus duarum in Christo naturarum distinctio tollitur; ex animo professi, absque

naturæ utriusque sive *conversione & confusione*, sive *separatione & divisione*, *Vnum Eundemque* Deum ac Hominem Mediatorem Nostrum, ita ut *unus idemque* sit ἐνεργῶν, Agens Unus Christus θεάνθροπος; unũ idemq; ut loquuntur, suppositũ, sive una eademq; persona, unũ idemq; *Principiũ Quod*; licet in illo Uno indivulsoq; Christo duæ sint naturæ inter se distinctæ, sive duo *principia quibus*, sive duo *principia* ἐνεργητικὰ; unde duplex quoque distincta, minimè tamen sejuncta ἐνέργεια sive actio complexè θεανδρικὴ proficiscitur, quæ ad unum idemque ἀποτέλεσμα sive effectum & Redemtionis opus tendit. Hæc Catholica est utriusque Ecclesiæ Fides.

PHIL. Agnosco communem doctrinam hactenus; vereor autem ne ubi distinctiùs mysterium hoc explicare conaberis, in diversa abeamus.

EIREN. Agedum ergo; quid de *Unione* ista & quæ ex ea fluit *proprietatum communicatione* utraque pars sentiat, sigillatim expendemus. Primùm, quod attinet hujus, quâ Divina Natura cum Humana conjungitur, *Unionis Autorem*; extra controversiam ponitur, Deum esse sive totam Sacrosanctam Trinitatem, quæ humanam naturam Christi produxit arctissimeque cum secunda Triados persona conjunxit. Hoc est quod omnes dicunt opus Incarnationis inchoativè, respectu *principii* sive *termini à quo*, pertinere ad totam SS. Trinitatem; respectu *formalis relationis & termini ad quem*, tribui solùm secundæ personæ sive λόγῳ.

Porrò quantum ad *Unionis materiale*; quamvis propriè loquendo duæ naturæ in Christo non sint *materia*, *materiæ tamen vicem* obtinent. Sunt enim ipsa *Unibilia*, quorum unum, scilicet Divina Natura, est assumens; altera, Humana nimirum,

 assum-

assumtum. Quidam ea vocant τὰ ἄκρα sive extrema, inter quæ intercedit *Unio* : concipiuntur etiam quodammodo per modum *subjecti*, licet impropriè. Hoc est, uno verbo, id quod unitur, sunt duæ Naturæ. Nec de eo lis est.

PHIL. Imò verò sunt enim Reformatorum Theologorum quam plurimi, qui non *Divinam naturam*, sed *personam* Filii incarnatam dicunt.

EIR. Illi utiq; per *personā* nō intelligunt ὑποστασιν sive *personalitatē* abstractā à Natura, verùm ipsissimā Naturā Divinā certo ὑπάρξεως τροπῳ characterisatam, sive ut clariùs dicam, ipsam Deitatem quatenus est filii Deitas. Rectè igitur Theologi illi; *si accuratè loqui velimus, Personam Filii, non Naturam Divinam esse incarnatam, cum persona sit Filii propria, sed Natura Divina sit ipsi communis cum Patre & Spiritu Sancto.* Vides Ipsos hoc solùm intendere, non Divinam naturam, *absolutè* vel quatenus tribus personis est communis, sed *relatè* in secunda Triados persona incarnatam esse. Nimirum nec essentia Divina *absolutè* & prout à personalitate abstrahitur, incarnata est, sic enim nulla persona incarnata foret, sed nec quatenus omnibus personis communis concipitur, easque connotat, sic enim Pater & Spiritus Sanctus æque ac Filius in carne manifestati essent. Et hæc est ipsissima distinctio quam probat *Gerhardus* Loc. IV. §. 110. quamque fatetur & *Polano* & *Ursino*, addo omnibus Reformatis Theologis usurpatam esse. Eodem sensu *Sohnius* & Alii dicunt, hypostasin Filii Dei ἀμέσως sive *immediate*, Divinam autem Naturam ἐμμέσως sive *mediatè* esse incarnatam: quam distinctionem à nonnullis suarum partium adhibitam quoque *Gerhardus* ibidem fatetur.

Nostrûm autem neminem unquam aliud quid sensisse, vel ex eo liquidò patet, quòd nemo est nostrûm quin duas naturas in

in θεανθρώπῳ agnoscat, nec quisquam ita deliret, ut solam naturâ Divinâ destitutam *personalitatem* & *abstractum subsistentiæ modum* incarnatum esse pertendat. Hinc nimis suspiciosum fuisse *Gerhardum* apparet, quando *ibidem conjicit, Calvinianos ideoque naturam Divinam incarnatam negare, ut communicationem idiomatum carni factam majori specie oppugnare possint.* Certè ab hoc crimine immunes sumus, ut tute ipse vides.

PHIL. Sed nec *Gerhardus* vobis omnibus hoc imputat; *quosdam* vestrûm esse ait qui de eo disputant. Verùm ista fateor esse conciliatu facillima; quin potiùs, quomodo ea, quæ de *Unionis Formali* disceptantur, conciliare queas, labora.

EIREN. Porrò igitur *Gerhardum* audiamus, quomodo hypostaticæ unionis formam atque naturam ille explicet. §.117. " Primò ait, eam non consistere in nuda παραστάσει, qualis inter " eos asseres sibi conjunctos, vel inter duas personas sibi assisten- " tes. Idem Reformati omnes statuunt. *Secundò*, non esse " οὐσιώδη sive essentialem. Duplex statui potest, inquit porrò, " essentialis unionis modus 1. *hyperphysicus* in personis Trinitatis, " quæ unam numero divinam essentiam participant; ubi tamen " notandum, unitatem potiùs quàm unionem in personis Trini- " tatis statuendam, cùm unio propriè sit eorum, quæ aliquando " non fuerunt unum, & quæ tantum cogitatione sunt separabilia. " Talis unio non est duarum in Christo naturarum unio, quia in " Trinitate tres ὑποστάσεις, in Christo verò una ὑπόστασις; in " Deitate μία οὐσία, sed in Christo duæ Naturæ sive essentiæ. " 2. *Physicus* sive naturalis, quando ex pluribus fit una essentia, v. " gr. ex materia & forma unum compositum, ex corpore & anima " unus homo. Hæc species unionis quodammodo accedit ad " eam, de qua agitur: Interim tamen non est undiquaque simi-

lis,

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0013
Mecklenburg Vorpommern

" lis, multò minus eadem. Propriè enim & accuratè loquendo, " unio duarum naturarum in Christo, nec naturalis nec essentialis statui potest. Hæc & quæ ad finem usque §. istius dissertat *Gerhardus* Reformati ad unum omnes approbant.

PHIL. Imò Kekermannus duas Naturas unum ἑσιωδες, sive essentiale statuit : syst. log. pag. 197.

EIREN. Certè ne somnianti quidem hoc incidisse puto, sic enim Euthychianismi manifestè se alligasset. Putabam autem Reformatos Nestorianismi suspectos esse. Si credimus duas Christi naturas eandem essentiam constituere, quid obsecro objicitis eas â nobis divelli atque separari ? Vehementer certè miror, opinionem istam *Kekermanno* adscribi, qui, ipso illo loco quem vulgo allegant, disertis verbis contrarium astruit. *System. Log. plen. cap. 22. Persona Mediatoris Christi est totum, inquit, extraordinarium, constans ex naturis tanquam ex partibus, tamen nec ad totum essentiale nec ad integrale potest directè referri, etsi ἀναλογίαν magnam cum toto integrali habeat, ut probat Damascenus l. 3. Orth. fidei.* Nunquid idem omninò dicit cum eo, quod ex *Gerhardo* audivimus ? Idem inculcat *System. Theol. lib. 3. cap. 2. Partes* personæ Christi sunt extraordinariæ, adeò ut propriè non possint referri ad partes essentiales aut integrales, licet propius accedant ad integrales. Subjicit dein *Kekermannus* easdem rationes quibus utitur & *Ger-* " *hardus* ; Ad essentiales, inquit, partes naturæ Christi referri " non possunt, quia non continentur sub persona tanquam spe- " cies sub genere, aut individua sub specie. Sunt deinde partes " essentiales materia & forma : Nisi velimus in errorem Apolli- " naris incidere, qui statuit Divinitatem esse formam humanitatis. " Partes etiam integrales propriè dici non possunt, quia integrum " hoc est, quod constat ex membris quantitatem & extensionem " à se invicem habentibus : duæ vero naturæ in Christo per ex- " tensionem & dimensionem ad se invicem non copulantur, ideo

partes

partes integrales propriè non possunt dici. Nunquid hæc est ipsa *Gerhardi* sententia? Enimvero non satis mirari possum, Autori, cujus opera omnium Puerorum etiam manibus teruntur, ea attribui, quæ fusè atque luculenter ipse refutat ac rejicit? Quibus non calumniis obnoxii erunt Scriptores rariores & obscuriores?

PHIL. Agnosco *Kekermanni* innocentiam, quam ipsemet vel inde collegi, quod personam Christi & *essentiale* & *integrale totum* statuisse dicitur; id quod certè Virum Logicarum artium peritissimum asseverâsse, non est credibile.

EIREN. Pergit Gerhardus, *Unionem duarum Naturarum non esse κατὰ συμβεβηκὸς* sive accidentalem. Vel enim unio "ista accidentalis esset *absoluta* vel *respectiva*. At unio hypostatica non est accidentalis *respectiva κατὰ σχέσιν*, quia hæc sententia in Nestorio à Patribus Ephesinis jamdudum damnata est: "nec est *absoluta*, foret enim talis vel secundùm *quantitatem*, eamque vel *continuam* per agglutinationem, ut cùm duo asseres "clavo, catenâ, fisco conjunguntur, vel *discretam* per aggregationem, appositionem, coacervationem; at nulla ex his speciebus unioni hypostaticæ competit, nisi naturam Divinam in prædicamentum quantitatis deferre velimus: vel secundum *qualitatem* per *ὁμόνοιαν* sive unitatem consensûs, at hac ratione non foret unus Christus sed personæ duæ. Hæc *Gerhardus* quibus per omnia astipulamur.

PHIL. Attamen *Danæus* contra *Chemnitium unionem* hypostaticam definit per *adjunctionem*; ita *Polanus* & *Goclenius* carnem esse *λόγῳ* adjunctum, & *Martinius* contra *Menzerum* unionem *accidentalem* dicit.

EIREN. At verò quis nescit, voces *adjuncti* & *accidentis* interdum *laxissimè* sumi pro omni eo, quod quocunque modo Enti jam existenti supervenit, interdum vero *strictè* pro eo quod

subjecto vel inhæret, vel saltem ita adhæret, ut non unum cum eo suppositum constituat. Priori sensu, *accidentale* opponitur *essentiali*. Certum est autem carnem Christi non esse de essentia intrinseca λόγε, Ergo eatenus dici potest λόγῳ *accidentalis*, nec *Gerhardus* in hoc sensu nobis contradicit. Docet enim & ille λόγον ab æterno extitisse, Ipsique in tempore carnem superveniisse. Verùm cum *Gerhardo* Anathema dicimus Ipsi *Polano*, *Danæo*, *Goclenio*, si unionem statuerunt *posteriori sensu accidentalem*. At crede mihi, mi *Philalethes*, eam non statuerunt: diserte enim ubique docent *personalem* esse, *non accidentalem*.

PHIL. Nimirum commodâ distinctione errorem Ipsorum excusas.

EIREN. Nequaquam, sed genuinam Ipsorum quæ & Vestra est sententiam explano. Si mihi fidem non habeas, Ipsum *Polanum* audi; Is *lib.* VI. *Syntagm. Theol. cap. 16.* disertè habet; *Humana Natura unita est verbo non tanquam accidens aut accidentaliter, nec inest personæ verbi ut accidens: sed ita advenit & inest* τῷ λόγῳ, *ut ex ejus unitione* ὁ λόγος *factus sit caro, id est verus homo. Esse autem verum hominem, non est accidens, sed in substantiæ genere.* Quid dissertiùs dici poterat contra sententiam, quæ ipsi affingitur? Hactenus ergò per omnia consentimus.

PHIL. Refert *Damascenus lib. 3. Orth. fid. cap. 3.* novem modos, in quibus Unio hypostatica non consistit; Unio, inquit, non est facta κατὰ φυρμὸν, *conspersionem* vel *massam*, velut cùm " ex farina & aqua tertium quid formatur, scilicet panis. 2. " κατὰ σύγχυσιν *confusionem*, cùm ex diversis aromatum specie- " bus fit unus pulvis. 3. κατὰ σύγκρασιν καὶ ἀνάκρασιν *commixtionem*,

" *mixtionem*, cùm ex aqua & melle simul fit mulsum. 4. κατὰ σχέσιν
" per *affectum* & *amicitiam*, quâ duorum fit cor unum. 5. nec
" κατ' ἀξίαν secundùm *dignitatem*, quòd ille homo acceperit
" hanc dignitatem, ut cum eo sit Servator. 6. nec κατὰ
" ταυτοβουλίαν, ἁρμονίαν, ὁμόνοιαν, secundùm *consensionem*, quòd
" voluntas hujus hominis semper fuerit conformis voluntati Dei.
" 7. nec καθ' ἑνωνυμίαν, quòd Deus suum nomen illi communi-
" caverit. 9. nec κατ' εὐδοκίαν, quòd λόγῳ in assumto ho-
" mine sibi placeat ac efficiat, ut iste homo sibi complaceat in ver-
" bo omnia. Hæc nos approbamus.

EIREN. Et hæc constans Ecclesiæ nostræ est sententia.

PHIL. Iterum dicit *Gerhardus*; Potest personalis in-
" habitatio τῷ λόγῳ in assumta carne per modum remotionis
" conferri cum *præsentia Universali*, quâ Deus adest omnibus
" creaturis: cum *præsentia gratiæ*, quâ habitat in san-
" ctis; cum *præsentia gloriæ*, quâ se in Cœlo beatis Angelis &
" Electis manifestat; his enim modis omnibus arctior est is, quo
" tota plenitudo Deitatis habitat in assumta carne, non τυπικῶς
" ut olim in templo Hierosolymitano, nec ἐνεργητικῶς duntaxat,
" ut in creaturis, nec χαριέντως duntaxat ut in Sanctis, nec
" δοξαστικῶς ut in Beatis & Angelis, sed σωματικῶς & ὑποστατικῶς.
" Collatio etiam potest institui inter apparitionem Spiritûs Sancti in
" σωματικῷ εἴδει columbæ, quæ est unio symbolica & separabilis,
" & inter manifestationem Filii Dei in carne, quæ est unio *hypo-*
" *statica* & *inseparabilis*. Sic explicamus quid non sit unio.

EIREN. Idem plane iisdem verbis & eodem significatu solemus explicare.

PHIL. Imò verò explicatis mysterium hoc per nudam sustentationem & gestationem carnis in λόγῳ ὑποστάσει. At certè hoc nimis frigidum est. Gestatio enim & sustentatio est opus Dei ad extra: Sed unio ratione termini est opus ad intra. 2. Gestatio est actus tantùm secundus, at personalis unionis formale est definiendum per actum primum. 3. Gestatio est communis assumtæ carni cum reliquis creaturis, quas omnes Deus potenti suo verbo sustentat. 4. Per nudam gestationem non efficitur ὑπόστασις σύνθετος. Tandem gestatio est actio communis toti Trinitati, unio autem hypostatica facta est in sola persona Filii Dei, in quâ ipsius humana Natura subsistit, non in persona Patris aut Spiritûs Sancti.

EIREN. Iterum ex phraseos ambiguitate hæ moventur turbæ. Quòd λόγος *sustentet* aliquid, duplici sensu intelligi potest; *ad extra*, ut loquuntur, & *ad intra*. Ad *extrà*, quatenus ut *Creator, Conservator & Gubernator* Universi cum Patre & Spiritu Sancto res omnes creatas in ipsarum *esse* & *operari* sustinet, servat, dirigit, ita ut sine illa sustentatione nec existere nec agere possent, vel quatenus ut gratiosus *Sanctificator* & *Glorificator* fideles & Beatos in gratia & gloria conservat. In hac sustentatione absit, ut unionem hypostaticam quisquam nostrûm unquam collocaverit: Unde non opus erat ex *Gerhardo* rationes quasi contra nos afferre, eas enim ipsas nostras faceremus, si quis usque adeò unionem Christi solveret, ut istiusmodi sustentatione eam definiret. Est igitur aliud *sustentationis* genus, *ad intra*, cujus ut modus ita terminus atque fructus longè alius est, scilicet non ut res creata in

suo

ſuo *eſſe* aut *operari* ſuſtineatur, ſed ut in λόγῳ ita ſubſiſtat, ut cum eo unam eandemque conſtituat perſonam. Et hoc eſt, quod tam Noſtri quàm Veſtri Theologi dicunt, *vi unionis hypoſtaticæ carnem Chriſti ſubſiſtere in* λόγῳ. Quâ ſubſiſtentia? An eâ quâ nos omnes in Deo adeoque & in λόγῳ *vivimus, movemur ac ſumus*? Minimè verò. Ergò *ſubſiſtentia particulariſſima ſuppoſitalitatis*? Annuis. At nunquid idem eſt dicere, *carnem ſubſiſtere in* λόγῳ, & *carnem ſuſtentari à* λόγῳ, *ſuſtentatione* ſcilicet *particulariſſima ſuppoſitalitatis*? Hoc autem poſteriori modo *ſuſtentationis & geſtationis* voces à Theologis noſtris adhibitas eſſe, omnia Ipſorum ſcripta clamant. Sic *Leidenſes* in *Synopſi Diſput.* XXV. Per " unionem hypoſtaticam Filius Dei humanam naturam in perſonæ " unitatem aſſumſit, eamque ſibi propriam fecit, adeò ut caro illa " extra Filium Dei ſubſiſtentiam non habeat, ſed in eo exiſtat, " ſubſiſtat, & ab eo geſtetur & ſuſtentetur. Utique prior illa ſuſtentatio eſt actus totius Sacroſanctæ Trinitatis: ſi igitur Noſtri Theologi illam hîc intelligerent, cur ad λόγον reſtringunt? Illa pertinet ad doctrinam de *Providentia* Dei; cur igitur huic ceu ſingulari myſterio peculiarem tractationem aſſignant, ſi cum priori eandem putant? Enimverò & *Irenæus*, & Veterum Alii termino *geſtationis & portationis* utuntur, nec prop[illegible] ereà unquam vapularunt.

PHIL. Ita quidem eſt, ſed voces *iſtas non eo modo acceperunt, quaſi formam unionis ſpecificam, & actum primum perſonalem exprimere voluerint, qui conſiſtit in communicatione hypoſtaſeos, quæ complectitur profundiſſimam naturarum* περιχώρησιν *& immanentiam, arctiſſimam Naturarum ad ſe invicem præſentiam & unius* ὑφισαμένε

conſtitutionem mutuam, ſed actum ſecundum ex illo primo reſultantem deſcribunt, quemadmodum anima rectè dicitur geſtare ſuum corpus, tamen per geſtationem animæ & corporis unio non definitur.

EIREN. At nos eodem planè ſenſu voces illas adhibemus, nec quisquam Noſtrûm unionem hypoſtaticam *per nudam geſtationem aut ſuſtentationem* accuratè definitam eſſe ſtatuit. Vides igitur in *deſcriptione negativa* nos per omnia conſentire. Jam *poſitivam* examinemus. Quamvis, cùm myſterium hoc utrarumque partium confeſſione longè cunctorum hominum & Angelorum captum tranſcendat, adeoque accuratiùs QUID NON ſit, quàm QUID SIT deſcribi poſſit, ſufficere videatur, quòd in *modorum remotione* penitùs conſentimus. Poſtquàm igitur κατ' ἄρσιν unionem hanc explicâſſet *Gerhardus*, κατὰ θέσιν procedit, eamque definit unionem καθ' ὑπόστασιν, *quia terminus* ἑνοποιὸς *eſt* τῦ λόγυ ὑπόστασις, *quæ cùm ante incarnationem eſſet Divinæ duntaxat naturæ hypoſtaſis, poſt incarnationem facta eſt etiam carnis hypoſtaſis*, unde ipſa unio vocatur hypoſtatica & perſonalis. " In omni diſparatarum rerum unione datur quidam quaſi " συνδεσμὸς ac vinculum, quod eas conjungit, & per quod fiunt " unum. Tale ἑνοποιὸν naturas diſparatas in Chriſto uniens eſt " hypoſtaſis, inde vocatur unio hypoſtatica. Addit ſynonyma, quibus eam declarat; σάρκωσιν, ἕνωσιν, προσεγγυσμὸν, συγκατάβασιν, ἐν σαρκὶ φανέρωσιν, ἐνσώματον παρεσίαν, μετενσωμάτωσιν, σύζευξιν, συμφυΐαν καὶ ἁρμογὴν φύσεων, ἐνανθρώπησιν, συνένωσιν, περιχώρησιν, &c. *incarnationem, incorporationem, confibulationem, copulationem, &c.* Hæc noſtra Eccleſia in omnibus approbat. Nam quòd

quòd nonnulli Veterum & eos secutus *Lutherus* κράσιν, σύγκρασιν & ἐπιμιξίαν dixerunt, id commodè explicandum esse Ipse *Gerhardus* rectè monet, ne ad *Eutychianam* confusionem applicentur. Sic igitur nec de *positiva* definitione ulla inter nos est controversia.

PHIL. Quid igitur *Danæus contra Chemnitium* negat *Unionem factam esse ad constituendum unum* ὑφιστάμενον.

EIREN. Indigna profectò criminatio. Nunquid constanter ubique docet *Danæus*, unum idemque esse ὑφιστάμενον constans duabus naturis Divinâ scilicet & humanâ. Quòd autem *ad tract. Chemnitii de duabus in Christo naturis, ad pag. 57.* negat *Unionem factam esse ad constituendum unum* ὑφιστάμενον, de eo *Danæum* Ipsum quæso audi; docet ille phrasin hanc, *constituere unum* ὑφιστάμενον, esse ambiguam: vel enim hoc significari, quòd *ex differentibus naturis velut anima & corpore aliquod* ὑφιστάμενον *incipiat fieri & existere, quod prius non erat nec subsistebat*; vel hoc solùm dici, *quòd hypostasi jam per se existenti alia natura accedat & copuletur, quæ nullum aliud diversum* ὑφιστάμενον *constituat*, Priori sensu negat Unionem factam esse ad constituendum unum ὑφιστάμενον. Certè enim λόγος jam ab æterno erat persona, nec demum in tempore humanæ naturæ accessione ὑφιστάμενον evasit. Posteriori sensu omninò affirmat, Divinam & humanam naturam unum constituere ὑφιστάμενον. Hinc sub finem illius annot. ait; *est hæc assumta natura, nimirum humana, personæ Filii adjuncta, & est illius* ὑφιστάμενα *veluti pars, non tamen causa est, cur illa*

illa persona sit persona, scilicet quia jam persona erat, antequam cum humana natura uniretur. Occasio autem horum dictorum est, quòd *Chemnitius* unionem hypostaticam ita definiverat ; *Unio* " *hypostatica* est totius Trinitatis operatio, quâ Divina natura in " solius Filii persona ex Maria virgine veram humanam naturam " sine transmutatione aut confusione, inseparabili copulatione " ad constituendum unum ex illis, & in illis duabus naturis in " Christo incarnato ὑφισάμενον, in quo assumta natura subsistat " & sustentetur, assumsit.

Danæus in *examine* suo *pag. operum suorum* 1371. notat errorem in iis verbis, ubi Chemnitius asserit ; naturam humanam à " Divina fuisse assumtam ad constituendum unum ex illis & in " illis duabus naturis in Christo incarnato ὑφισάμενον. Nam " inquit Danæus, hæc verba nihil aliud sonant quàm, aliud esse " in Christo ὑφισάμενον, præter ipsum Christum : deinde tunc " demum Filium Dei cœpisse esse, seu constitui ὑφισάμενον, cùm " nimirum naturam illam humanam assumsit. Quod quantum " Samosatenianis & Arrianis faveat, videat ipse *Chemnitius*. Certè ipse non diffiteberis, mi *PHILALETHES*, Chemnitium gravissimè errasse, si existimavit λόγον non fuisse personam antequam incarnaretur, sed demum personam deveniisse per conjunctionem cum humana natura.

PHIL. Maximè errasset, si hoc statuisset : verùm nec Ille nec Nostrûm quisquam blasphemiam hanc eructavit.

EIREN. Si nemo Vestrûm id unquam dixit, non opus est ulterius contendere : idque ibidemque *Danæus* videtur agnovisse; " Nec mihi hoc regerat, inquit, quòd hoc ipso capite prolixè ipse " Chemnitius disputat, *Hypostasin Filii Dei fuisse ab æterno*. Non " enim quæro quid ipse sentiat, sed quid in hac definitione verba

Chemnitii

" Chemnitii sonent perpendo, præsertim cùm ipse nostras defini-
" tiones fastidiosè repudiet. Vides ipsum *Danæum* non *Chem-
nitii* sensum sed verba accusare, nec de re ipsa, sed de Logica de-
finitionis ἀκριβείᾳ, & phraseos perspicuitate laborare.

PHIL. Cur igitur *Chemnitio* errorem istum improperavit, à quo tamen ipsum agnovit immunem?

EIREN. Suspicabatur *Danæus* sub ambigua locutione latere posse errorem; noluit igitur sine castigatione dimittere istum loquendi modum, ne scilicet minùs accuratus ac perspicax fuisse videretur. Suspicionem istam adauxerat *Chemnitii* assertio humanam naturam à Divina non *Persona*, sed Natura assumtam, affirmantis, & unionem hypostaticam cum unione corporis & animæ in homine comparantis. Verebatur enim ne quis occasione illorum *Chemniti* verborum, quæ cæteroquin verissima sunt, sibi imaginaretur, personam Christi ex duabus naturis ita à priori constitutam esse, uti ex anima & corpore unus homo constituitur, adeoque λόγον non fuisse personam ante hypostaticam unionem, quemadmodum homo persona non est nisi antecedenter anima cum corpore sit combinata. Et sic quidem *Danæus* reipsa à *Chemnitio* non dissentit, quando neque hic in mentem unquam induxerat personæ sive ὑφισαμένῳ τῷ λόγῳ, existentiam ante incarnationem negare, nec Ille unquam professus est, Christi Personam utraque naturâ non constitui. Ne scrupulus tibi restet, afferam verba *Gerhardi* ex LIV. *de persona Christi* §.13. Quæst.4. *Quo sensu appelletur Unio personalis?* Non quòd
" persona sit unita personæ, sicut statuebat Nestorius, nec quòd
" Divina & humana in Christo naturæ eo modo unam constitu-
" ant personam, quo anima & corpus unum hominem. Nam
" nec corpus nec anima ante unionem per se extitit, & personam
" aliquam constituit, sicut ὁ λόγος ab omni æternitate per se

" extitit, & perſonam conſtituit, antequam carnem aſſumeret:
" ſed quia duæ illæ Naturæ ita ſunt unitæ, ut utriusque naturæ
" ſit una eademque hypoſtaſis, & ſic Chriſtus ſit una tantùm per-
ſona. Hæc *Gerhardus* rectè, accuratè, dilucidè.

PHIL. Utut iſta ſe habeant, nondum tamen in *Unionis hypoſtaticæ definitione poſitiva* convenimus: eam enim nos in hypoſtaſeos communicatione ſitam affirmamus, Vos negatis. *Sic Alſtedius* in *Theol. polemica* ait; ὑπόσασιν λόγε *accuratè loquendo non communicata eſt carni.*

EIREN. Adde verba quæ ipſe addit; hoc eſt, *effuſa in ipſam.* Nimirum terminus *communicationis* eſt maximè ambiguus; prout varii quoque ſunt *communicationis* modi. In univerſum *Communicare* nihil aliud notat, quàm *facere aliquid commune.* Quæ communia fiunt, ſunt vel *res ipſæ*, vel *verba*, ſive rerum ſigna. Unde duplex dicitur *communicatio*, *verbalis* alia, alia *realis.*

Quantum ad *verbalem*; utique nemo neſcit *vocum* conſtitutionem ab Hominum arbitrio dependere, penes quod omnis dicendi eſt poteſtas. Accidit igitur ut una eademque vox, quæ uni rei ſive conceptui exprimendo propriè fuerat addicta, ad aliam quoque rem ſignificandam traducatur: quod ubi fit, Vox illa dicitur *communicata* eſſe. Sic vocula iſta, *Vulpes*, ad certam quadrupedem beſtiolam ſignificandam erat primitùs, ut ita dicam, appropriata; placuit poſtea eâdem voculâ ad *Vafrum* atque *verſutum* hominem exprimendum uti: ita vocis hujus facta eſt *communicatio.* Cœterùm in unaquaque voce duo occurrunt ſpectanda; *materiale* ſcilicet & *formale.* *Materiale* dicunt, ipſas literarum & ſyllabarum ſive figuras ſive ſonum; *Formale* verò, ſenſum atque ſignificationem, ſive arbitrariam illam vim, quâ ex hominum conſtitutione vox menti noſtræ res ipſas exhibet. Fieri igitur poteſt, ut vel ſecundùm materiale ſolùm, vel ſecundùm *utrumque* vox aliqua communicetur. *Secundùm materiale* ſolùm,

ut

ut quando vocula hæc, JUS, quæ leges atque juſtitiam notat, adhibetur ad cocti liquoris ſive offæ genus ſignificandum, communicatio iſthæc *merè materialis* eſt, fit enim ſolùm juxta literas, non juxta earum ſenſum. Alia verò eſt *communicatio* ſecundùm *utrumque*, intellige ſecundùm *materiale* & *formale*; eſtque ubi vox non ſolummodò quoad literarum flexum aut ſonum, ſed & quoad ſignificationem alii rei attribuitur. Ut quando vocula JUS non Romanorum ſolùm legibus, ſed & noſtris ſtatutis adſcribitur. Quam verbi *communicationem* nos *formalem* dicemus. *Materialis communicatio vocum* in tota hac noſtra diſceptatione ſub conſiderationem nunquam cadet, nec ut de ea quicquam dicamus meretur. Non enim de verbis agemus, quà verbis, ſed de verbis, quà res ſignificant. Itaque expendenda nobis *Verborum communicatio formalis.* Jam autem ſemper accuratè cogitandum, voces nonniſi rerum vicarias eſſe, earumque veritatem à rebus ipſis unicè dependere, & in eo ſolùm conſiſtere, ut rebus ipſis conveniant. Quapropter ut *Verbalis-formalis-communicatio* ſit legitima, jam ante factam rerum ipſarum communicationem requirit. Clariùs dicam, *quod commune eſſe dicimus, illud utique jam ante re ipsâ commune eſſe debet*, alioquin falſa noſtra foret oratio. Unde vides nec nobis in explicanda *verbali-formali communicatione* multùm laborandum eſſe, ſed hoc potiùs agendum, quomodo Rerum ipſarum ſive *realem* communicationem diſtinctè intelligamus, eam enim verbalis neceſſario debet ſequi. *Quot* namque *modis aliquid eſt, tot modis dicitur*, & *quale quid eſt, tale eſt dicendum.* Vox enim rem non mutat, nec res vocis, ſed vox rei famula eſt. Sunt autem varia *realis communicationis* genera, quæ ſingula nobis accuratè inquirenda reſtant; in ea enim diſquiſitione totius controverſiæ & occaſio & deciſio ſeu conciliatio potiùs conſiſtit. Poſſem ad dichotomias & trichotomias omnia revocare, tum longâ ſubdiſtinctionum ſerie evolvere, verùm populariter agam, omnesque communicationis ſpecies

(quæ quidem in mentem venient) uno laterculo exhibebo. Primùm igitur, de rei alicujus Autore sive *causa efficiente* solemus dicere, quòd *effectui sese communicet*. Quæ communicatio nihil aliud notat, quàm effectûs productionem, nec *transfusionem* ex efficiente in effectum arguit, sed illum solummodo actum, cujus virtute res, quæ antea non existebat, esse incipit. Quo sensu Deus bonitatem suam creaturis communicavit, non utique bonitatem suam ex semetipso effundendo & transfundendo in creaturas; (est enim bonitas Dei ut impartibilis atque immutabilis ita omnino istâ ratione incommunicabilis) sed juxta Bonitatem suam res non existentes procreando. Eodem sensu Doctores eruditionem suam communicare dicuntur, non quòd propriam suam eruditionem in Auditores transferant, (sic enim quo quis diligentiùs doceret, eo plus dediscceret) non quòd ideas, quarum complexione scientia Eorum constat, ex mente sua eruant, & in aliorum animos inserant, sed quia institutione atque disciplinâ in Discipulis similes suis cogitationibus cogitationes excitant. Ita ut *communicatio* hîc nihil significet aliud quàm rei similis productionem. Unde & distinctio inter attributa Dei declaratur, quorum quædam *communicabilia*, alia *incommunicabilia* censentur; non alio sensu, quàm quòd eorum nonnulla ita se habent, ut iis consimile aliquid in creaturis existere possit, quædam verò adeò omnem creatam conditionem superant, ut eorum ne vestigium quidem extra Deum apparere queat. Hanc communicationem melioris doctrinæ causâ nominabimus *effectivam*. *Secundò*, *causæ declaranti* suus quoque est communicationis modus, quo rem aliquam alteri communicare dicitur is, qui rem illam explicat atque declarat. Sic secreta cum Amicis communicamus, id est, ea ipsis aperimus ac revelamus. *Tertiò materiæ* competit respectu *formæ* sua quoque communicatio; ut & *quartò formæ* respectu *materiæ*. Sic corpus hominis communicatur animæ, anima corpori. Quæ *communicatio* in sustentatione & informatione

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0026
Mecklenburg Vorpommern

matione consistit. *Quintò* datur communicatio *subjecti* habito respectu ad *adjunctum*, & vice versa. Cùmque subjectum aliud sit recipiens *in* se, aliud *ad* se, inde quoque diversa communicationis exurgit ratio, scilicet virtus ita animo communicatur ut ipsi inhæreat; ignis ita ferro communicatur, ut minimis suis particulis omnes ejus poros occupet, illosque intimè perfluat, non inhæreat tamen ut accidens, sed permeet ut intimè juncta substantia. *Sextò*, est communicatio *objecti* ad eam facultatem vel actionem, quæ circa illud occupatur. Sic visui communicatur imago, auditui sonus. *Septimò* est *communicatio relativa*, quò pertinet ea quæ denominationem extrinsecam fundat. Hoc scilicet fundamento Regis uxori attribuitur titulus Reginæ, non quòd Ipsa regnet, sed quia regnantis uxor est. *Octavò*, est *communicatio partium* vel eorum, quæ se habent ut partes ad sese invicem. Quæcunque enim ad sese invicem accedunt in eum finem, ut unum aliquod totum constituant, illa sibi invicem communicantur, dum uniuntur. *Nonò* est *communicatio partium vel quasi partium ad totum*; Partes enim toti communicantur per sui intrapositionem, ut loquuntur. Per communicationem formalem hujus, istius, illius partis, constit Totum. *Decimò* est *communicatio vinculi* inter partes, quâ ligamen unius partis ad alteram partem extenditur, ita ut beneficio ejus copulentur. Cùm verò vincula quibus partes colligantnr pro diversitate *Unibilium* diversissimæ quoque sint, de eorum communicatione diverso quoque modo sentire debemus. *Undecimò* concipitur *communicatio* Generis ad species, speciei ad individua. Sic natura animalis homini, natura humana Petro vel Paulo communicata dicitur. *Duodecimò* est *communicatio Ejusdem*, ut quando eundem numero librum quem habeo alteri trado, agrum plane eundem quem possedi, alteri concedo. Quando autem alii aliquid cedo, vel id in eum ita transfero, ut mihi ipsi eripiam, vel ut simul cum eo possideam, mihique nihil decedat. Illam communicatio-

nicationem *privativam*, hanc *cumulativam* vocant. Analoga huic est *communicatio* essentiæ Divinæ respectu Filii & Spiritûs Sancti. Eadem enim numero essentia est, quam habet Pater, quam Pater Filio, quam uterque Spiritui Sancto communicavit. Nec enim Pater Æternus generando Filium aliam Filio essentiam dedit ab eâ quam ipse possidet, sic namque Divinitatem multiplicâsset, quod omninò falsum est, atque absurdum. Sed in unius ejusdemque indivisæ essentiæ societate & Pater & Filius & Spiritus Sanctus subsistunt. Consideratur & *decimò tertiò communicatio diversorum in eodem subjecto.* Quæ enim in eodem subjecto sunt, secum invicem subjecti communicationem habent, habent siquidem ejusdem subjecti communionem, communionem autem ejus non habent, nisi quia ejus habent communicationem. Sic flavedo & dulcedo in melle de eodem subjecto, melle, communicant. Est & *Decimò quartò communicatio* respectu *actionum* vel *Statûs*. Hinc ii inter quos commercium vel familiaritas intercedit communicationem ad se invicem habere dicuntur; hinc iis quæ in se mutuò agunt ac reagunt, communicationem tribuimus. Tandem, ut alia omittam, est communicatio quædam *metaphysica*, secundùm quam substantia singularis completa, *incommunicabilis*; incompleta, *communicabilis* existit. Nimirum substantiæ quæ in rerum universitate existunt, vel ultimum suum atque completum esse ita habent, ut per se solæ locum in Rerum serie tueri possint; vel ita existunt ut *per se* non censeantur, verùm ex naturæ suæ destinatione ceu pars vel quasi pars alteri inexistant. Priori modo, Ego subsisto ut Ens completum, meâ naturâ non eò destinatus, ut alterius rei propria pars sim. Posteriori verò modo hæc manus subsistit, utpote non producta eo fine ut per se sola existat, sed ut mea sit manus, pars mei. Priori modo quæ subsistunt *suppositæ* dicuntur; quæ posteriori modo, simpliciter *substantiæ incompletæ.* Ergò manus mea subsistit quidem, cùm substantia sit; non *suppositum* tamen est, quia non subsistit

fiſtit ut Ens ultimò terminatum atque completum. Sic Angelus utpote Ens per ſe totum, *ſuppoſitum* eſt; anima humana non item, utpote ex ſe & ſuâ naturâ ad hominem ceu totum conſtituendum deſtinata. Unde diſtinctio *ſubſiſtentiæ* in *ſubſiſtentiam ſubſtantialitatis* & *ſuppoſitalitatis*. Illa opponitur *inhærentiæ*, & omni ſubſtantiæ competit ſive ea pars ſit ſive totum : Hæc opponitur illi modo quo incompleta ſubſtantia ſubſiſtit. Nunc autem illud quod jam completum eſt, non poteſt alteri ineſſe, ut *pars per ſe*, ſic enim jam completum non eſſet ; eoque alteri iſthâc ratione non eſt communicabile vel terminabile, jam enim terminatum eſt. Illud verò quod nondum completum eſt, quodque ultimum ſubſiſtentiæ terminum non habet, eò promoveri poteſt ut compleatur, atque adeò ultima illa ſubſiſtentia Ipſi communicetur. Non igitur humana natura quam λόγῳ aſſumſit *per ſe ultimò completum* quid fuit, deſtinata enim fuit ad ſubſiſtendum in λόγῳ : Meum verò corpus & mea anima ſecum invicem juncta totam meam perſonam conficiunt, quia ſine unione cum alio, *completum* meum *eſſe* conſtituunt. Hinc patet, quomodo natura humana Chriſti ex ſe ſit ἀνυπόστατος, ſive ex ſe propriam ſubſiſtentiam, qualem ego habeo, non habeat, habeat tamen ſubſiſtentiam in λόγῳ. Ergo ſubſiſtentia λόγου humanæ naturæ eſt communicata? Ita ſane. Quâ verò *communicatione*? An *effectivâ*, ita ut hypoſtaſis λόγου hypoſtaſin humanæ naturæ produxerit ? Minimè verò ; ſic enim duæ eſſent in Chriſto hypoſtaſes, duæ perſonalitates, duo igitur ſuppoſita, duæ perſonæ. An igitur eâ fortè *communicatione*, quâ communicatum ex ſubjecto in ſubjectum tranſit, derelinquendo primum ſubjectum & acquirendo novum ? Quemadmodum qui divitias erogat, eas à ſe in alium

alium transfert ? An hoc modo λόγ@ ὑπόσασιν ſuam exuit eamque in humanam naturam transportavit ? Nequaquam, ſic enim λόγ@ factus eſſet in ſe ἀνυπόσατος, humana verò natura in λόγῳ ἐνυπόσατ@ non eſſet : Quorum utrumque Nos omnes rejicimus. Rectè ergò jam *Alſtedius* negavit communicationem hypoſtaſeos per modum transfuſionis. Quam igitur communicationem hypoſtaſeos profitemur ? Eam quâ λόγ@ propriâ ſubſiſtentiâ ὑπόσατος, naturam humanam per ſe & ex ſe ἀνυπόστατον in ſuam ὑπόσασιν intimè aſſumſit, ut quæ ὑποστάσις anteà ſolius λόγ@ erat, illa ipſa etiam ſit ὑπόσασις carnis, adeoque caro in λόγῳ ſit ἐνυπόστατος. Hoc eſt quod *Alſtedius* innuit quando ait, *Unionem hypoſtaticam* conſiſtere in οἰκειώσει ſive *appropriatione, quâ* λόγ@ *carnem ſibi ita appropriavit, ut caro in ipſo ſubſiſtat, ceu ſurculus in arbore.* Jam igitur vides, mi Philalethes, meras verborum tricas eſſe, quibus obvolvimur, nec nos unquam negâſſe hypoſtaſeôs communicationem. Certè eam fuſiùs demonſtrat & contra Hæreticorum exceptiones defendit *Polanus ſyntagm. l.* VI. *cap.* 16. quod & ipſe *Gerhardus* fatetur. Quòd ſi autem *Polanus* eam defendit ut communem Reformatæ Eccleſiæ ſententiam, nec eâ de re à quoquam noſtrûm unquam malè audivit, quâ fronte nobis id criminis impingitur, quaſi hypoſtaſin carni communicatam negaremus ? Non poſſum mihi temperare, quin in hanc rem *Gerhardi* orthodoxam omninò & per omnia nobis probatam explicationem laudem. Quærit ille Loc. IV.

" §. 112. *An humana natura Chriſti rectè dicatur* ἀνυπόστατος ?

" Reſpon-

"Respondet; ἀνυπόστατον duplicem habet significationem; *Absolutè & simpliciter* illud dicitur ἀνυπόστατον, quod nec suâ nec alienâ hypostasi subsistit, quod nec essentiam nec subsistentiam habet, nec in se nec in alio, sed est nihil, negativum. Eo sensu natura humana Christi non potest dici ἀνυπόστατον. *Relatè & secundùm quid* ἀνυπόστατον dicitur, quod non quidem suâ sed alienâ ὑποστάσει subsistit, quod essentiam quidem habet sed non propriam tamen personalitatem & subsistentiam, sed in alio subsistit: hoc sensu caro Christi dicitur ἀνυπόστατος, quia scilicet ἐνυπόστατος, in ipso λόγῳ subsistens. Rectè hæc omnia *Gerhardus*, qui & alibi inter ὑπόστασιν ἀσύνθετον & σύνθετον adistinguit. Ἀ σύνθετος ὑπόστασις est ὑπόστασις λόγου ab æterno ante incarnationem existentis; σύνθετος est illa ipsa, quatenus humana natura eâ quoque subsistit. Non autem σύνθετος dicitur quasi composita sit, sed quia post incarnationem non unica tantùm natura, Divina scilicet, verùm etiam humana cum Divina in ea subsistit. Itidem rectè & orthodoxè ist adicta esse profitemur, Hactenus igitur nullus omninò dissensus.

PHIL. Sed enim negatis humanam naturam assumtam esse in θεότητα, nec Naturam sed personam τοῦ λόγου incarnatam dicitis.

EIR. Iam ante respondimus. Malè opponuntur *Natura* & *Persona* quasi se mutuò excluderent. Qui unitus est cum Persona, non potest non esse unitus cum natura, persona enim nihil est aliud quàm ipsa natura cum certo τρόπῳ ὑποστάσεως. At Divinam natu-

ram non simpliciter & *absolutè* sed *relatè* in ὑποςάσει Filii incarnatam esse vos omnes dicitis, dicitis ergo idem quod nos.

PHIL. Equidem satis multa jam de Vnionis hypostaticæ definitione disceptavimus. Consensum circa ipsam agnoscerē, nisi nos quasdam ex ea deduceremus conclusiones quas vos negatis, unde mihi suspicari licet Ipsam quoque definitionem alio sensu à vobis capi, vel saltem utut in unionis natura concipienda non dissentiamus, dissentire nos tamen in iis quæ eam consequuntur.

EIR. Imò ex vera definitione fortè falsum quid per errorem deducitis, unde, integro consensu circa principia, dissensus tamen esset circa conclusionem. Sed neque hoc affirmo, Nam & easdem inde deducimus veritates. Nimirum *Gerhardus Loc.* IV. *de Persona Christi* §. 121. ex tradita definitione multa elicit porismata, quibus *formale Vnionis* uberiùs ac manifestiùs exprimi dicit; Primùm, in-

" quit, quoniam ἐν τῇ ἐνσαρκώσει ὑπόςασις τῦ λόγυ facta est carnis

" ὑπόςασις, ideò post incarnationem est ὑπόςασις σύνθετ@. Di-

" citur autem ὑπόςασις σύνθετ@ non quòd in se ac per se alteratio-

" nem quandam & simplicitatis excidentiam passa, fuerit composi-

" ta; sed quia post incarnationem est duarum naturarum ὑπόςασις,

" cùm anteà solius Divinæ naturæ hypostasis fuerit. Persona

" τῦ λόγυ ante incarnationem ἀυτοτελὲς άτη fuit; at simplex ὑπόςα-

" σις, in natura Divina tantùm subsistens, per incarnationem facta

" est ὑπόςασις σύνθετ@ constans simul Divinâ & humanâ naturâ,

" atque ita ad integritatem personæ Christi jam in carnati non mo-

" dò divina sed & assumta ejus humana natura pertinet. Σύνθετον

" ergò intellige non *compositione subjectiva*, non *essentiali*, non *attu-*

" *ctiva* sed *personali*, qua eadem hypostasis, quæ priùs fuit tantùm

" verbi

" verbi hypostasis, ejusdemque perpetuò manet hypostasis natura-
" liter & essentialiter, ἐν τῇ ἐνσαρκώσει facta est carnis ὑπόστασις com-
" municativè & personaliter. Ac quia Filii Dei hypostasis post
" factam incarnationem est σύνθετος, ideò ad personam Filii Dei u-
" traque natura pertinet, nec una sine altera vel extra alteram sub-
" sistit. Hoc primum est Gerhardi porisma.

PHIL. Admittisne?

EIR. Omninò; ne hilum dissentimus. Videamus alterum
" porisma. Quia hypostasis λόγου facta est carnis hypostasis, ideò
" carni ὑπόστασις λόγου est communicata. λόγος hypostasin illam
" habet in se propriam, caro per unionem eam habet communica-
" tam (hypostasis τοῦ λόγου utriusque naturæ est hypostasis, divinæ
" πρώτως καὶ φυσικῶς, humanæ δευτέρως καὶ ὑποστατικῶς] Neque
" enim per naturam & per essentiam sive essentialiter ex principiis
" naturæ & essentiæ constitutivis carni competit λόγου ὑπόστασις, re-
" quirebatur igitur ut eidem communicaretur. Sic enim proce-
" dimus. Caro Christi aut est prorsus ἀνυπόστατος aut λόγου ὑποστά-
" σει subsistit, propriam enim subsistentiam non habet. Atqui
" falsum est eam esse prorsus ἀνυπόστατον. Ergo subsistit τοῦ λόγου ὑπο-
" στάσει, quam oportet ei esse communicatam. An hoc porisma
ex definitione sequatur, an ipsam definitionem constituat, non di-
sputo; quicquid ejus sit, extra dubium est nihil nisi verum eo con-
tineri.

PHIL. Sed enim tertia conclusio Tibi videbitur falsa.

EIR. Imò omnes nostrarum partium Theologi eam sedulò

ut Orthodoxam inculcant. Ea autem hæc est: Quia hypostasis
" λόγου facta est carnis hypostasis, ideò caro Christi est ἐνυπόστατος.
" Neque enim est ἀυθυπόστατος καὶ ἰδιοσύστατος propriam habens
" subsistentiam, neque ἀνυπόστατος nullam prorsus habens subsi-
" stentiam, utique ergo est ἐνυπόστατος ἐν ἀυτῷ τῷ λόγῳ subsistens.
" Dicitur autem ἐνυπόστατος non QVALICVNQVE sustentatio-
" ne & gestatione in λόγῳ, nec nudâ ad λόγον præsentiâ, sed ὑπο-
" στάσεως τοῦ λόγου cummunicatione pleniſſimâ, cùm tota plenitu-
" do Deitatis in ipsa dicatur habitare. *Coloss.* II. vers. 9. ἐνυπόστατος
" est, non *accidentaliter*, ut accidens in subjecto; nec *partialiter* ut
" pars in toto; sed *personaliter* ac singulariter ut persona in natura.
Hæc nisi in *Gerhardo* legissem, *Calvini* credidissē verba. Addit idem
" Ille; ἐνυπόστατον Philosophis *primò* significat *Vniversale*, nempe
" quod secundùm se non subsistit, sed in personis seu hypostasibus
" subsistentiam habet. Sic species seu natura hominum non ha-
" bet propriam hypostasin, sed est aliquid in hypostasi Petri, Pauli,
" Johannis. *Secundò* significat partem & potissimùm essentialem: sic
" corpus humanum non est hypostasis, nec anima est ὑπόστασις, sed
" utraque sunt ἐνυπόστατα. Significatio, in qua hoc loco usurpatur,
" magis accedit ad posteriorem quàm priorem. In his iterum ver-
bis quamvis Philosophus fortè requirere aliquid possit, Ego tamen
nihil omninò deprehendo à simplici fide alienum. Porrò *quarta*
Gerhardi conclusio hæc est; Quia λόγου ὑπόστασις facta est etiam car-
" nis ὑπόστασις, ideò post factam incarnationem est intima Natura-

rum

" rum unitarum περιχώρησις sive immeatio. Quomodo
" enim absque tali περιχωρήσει, una istarum Naturarum esset
" ὑπόστασις; quomodo absque ea tota plenitudo Deitatis in carne
" assumta habitaret? Quinimò ut propter essentiæ unitatem inter
" personas Trinitatis est περιχώρησις *essentialis*, ita propter personæ
" unitatem inter duas Naturas in Christo unitas est περιχώρησις per-
" *sonalis*. Hanc περιχώρησιν nostri quoque Theologi omnes agno-
scunt ex iisdem omninò capitibus. Statuimus enim omnes, Vnionem hypostaticam in Christo arctiorem longè esse quàm quâ corpus meum & anima mea conjunguntur; hæc autem talis est, ut hæc illam *permeet*, unde sequitur potiori jure inter Duas in Christo naturas περιχώρησιν statuendam esse. Sed & rectè monet *Gerhardus* permeationem istam non *essentialem* esse verùm *personalem*, ejusdem personæ, non verò ejusdem essentiæ. Tres Sacrosanctæ Trinitatis personæ se permeant respectu unius individuæ essentiæ; duæ Christi naturæ se permeant respectu unius individuæ personæ.

PHIL. Non putabam περιχώρησιν hanc à vobis admitti.

EIR. Imò iisdem verbis eam explicamus, quibus *Gerhardus*. Audi *Polanum ex syntagm. Theol. lib.* VI. c. XVI. Vnio hypostatica à Damasceno nominatur περιχώρησις naturarum Christi, id
" est, circumplexio, quòd per eam Deitas in carne assumta habitet
" & undique eam complectatur, inque ea permeet, sicut ignis totum ferrum aut carbonem intus & extra complectitur & immeat
" ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως. Vnde Coloss. II. v. 9. dicitur quòd
" plenitudo Deitatis habitet in Christo σωματικῶς, corporaliter:

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0035
Mecklenburg Vorpommern

" quia Deitas τῦ λόγυ univit sibi corpus ita ut illud undique circum-
" plectatur & immeet, ac veluti corporata facta sit, non tamen in
corpus conversa. Hæc eadem utique sunt cum iis quæ Vos edo-
cetis, à Divina scilicet natura humanam permeari, illamque huic,
hanc illi immanere.

PHIL. Quid verò de *quinto* porismate fiet? Quòd nimi-
" rum, quia λόγυ ὑπόσασις facta est carnis ὑπόσασις, ideò naturæ
" hæ duæ sunt sibi invicem præsentissimè præsentes. Neque enim
" pars parti sed totus λόγ῾ toti carni, & tota caro toti λόγῳ est uni-
" ta, ideò propter ὑποςάσεως ταυτότητα καὶ τῶν Φύσεων εἰς ἀλληλα περι-
" χῶρησιν, λόγ῾ ita præsens est carni & caro ita præsens est τῷ λόγῳ,
" ut nec λόγ῾ sit extra carnem nec caro extra λόγον, sed ubicunque
" est λόγ῾ ibi etiam præsentissimam sibi habeat carnem, quippe
" quam in personæ unitatem assumsit, & ubicunque est caro, ibi
" præsentissimum sibi habeat τὸν λόγον, quippe in cujus hypostasin
" est assumta. Quemadmodum λόγ῾ non est extra suam Deitatem
" cujus est hypostasis, sic etiam non est extra suam carnem essentiâ
" quidem finitam, in λόγῳ tamen personaliter subsistentem. Quid
" ad hæc, mi *Eirenophile*.

EIR. Perge modò; posteà simul omnia elucidabimus.

PHIL. Ut enim, inquit porrò Gerhardus, τῷ λόγῳ propria
" est sua Deitas *per æternam à Patre generationem*, sic eidem τῷ λόγῳ
" propria facta est *caro per unionem personalem*. Quemadmodum
" ergo περιχώρησις essentialis in personis Trinitatis, ac una tribus

personis

" personis communis Deitas facit, ut una persona non sit extra al-
" teram, sed Pater sit in Filio, Filius in Patre & Spiritus Sanctus in u-
" troque, sic περιχώρησις personalis & una duabus naturis commu-
" nis ὑπόστασις facit, ut una natura in Christo non sit extra alteram
" sed ut totus λόγος sit in sua carne & tota caro sit in λόγῳ; ac que-
" madmodum labefactatur essentiæ unitas, si dicas Filium esse extra
" Patrem & Patrem extra Filium, quocunque modo ac respectu id
" voles interpretari; sic labefactabitur unitas personæ, si dicere velis
" λόγον esse extra carnem & carnem extra λόγον, quocunque mo-
" do ac respectu illud interpretari volueris. Hæc ergò περιχώρησις
" requirit præsentiam non modò *generalem*, *gratiosam*, *gloriosam*,
" quæ assumtæ carni cum aliis creaturis est communis, sed *singula-*
" *rem*, *intimam* & *arctissimam*, ut una Natura non possit esse extra al-
" teram sibi unitam, aliàs foret non περιχώρησις sed πάραχώρησις,
" quia περιχώρησις requirit præsentiam non partialem sed tota-
" lem, ut totus λόγος toti carni, tota caro toti λόγῳ sit præsens;
" non temporariam & solubilem, sed perpetuam & indissolubilem.
Ista certè quæ hactenus recensui Reformati Tui Theologi nunquam admittent.

EIR. Perge modò, & *septimum* quoque porisma (de sexto enim posteà dispiciemus) adde, ut unâ operâ omnibus respondeam.

PHIL. *Septimum* porisma, quod convenit quinto, à nobis
" hoc deducitur: Quia λόγῳ ὑπόστασις facta est carnis ὑπόστασις,
" ideò caro per unionem, modum subsistendi illocalem est sortita.
" Natura humana subsistit ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ aut localiter aut illocali-
" ter.

" ter. Non prius, quia aliàs unio foret localis. Ergò posterius, &
" per consequens accepit hinc illocalem, supernaturalem & subli-
" missimum in ipso τῷ λόγῳ præsentiæ modum, qui est personalis,
" unde nullibi nuspiam est ὁ λόγος, ubi non præsentissimam sibi ha-
" beat suam carnem, quippe personaliter sibi unitam. Quamvis
" ergo ἐνσάρκωσις in solo Mariæ matris virginis utero sit facta, & cor-
" pus Christi extra uterum matris tempore conceptionis ac gestati-
" onis juxta situm naturalem & propinquitatem localem non fue-
" rit, tamen cùm terminus assumtionis & unionis non sit locus ali-
" quis, sed ipsa ὑπόστασις τοῦ λόγου, quia est illocalis & altissimè omnia
" locorum διαστήματα transcendit, ideò in hac unione & per hanc
" unionem caro Christi modum subsistendi illocalem est sortita. Ne-
" que enim humana Natura, quatenus unita, in loco habet suam
" ὕπαρξιν, sed in λόγῳ; neque respectu hujus vel illius loci λόγος
" carnem sibi habet præsentem, sed in ipsa sua ὑποστάσει in quam est
" evecta, aliàs unio foret localis & mutabilis. Sortita est εἶναι suum
" hypostaticum ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ. Ergò etiam peculiarem subsistendi
" modum ac personalem actum. Et quia λόγος ὑπόστασις eo modo
" facta est carnis ὑπόστασις, ut non desierit esse quod erat, videlicet
" humana natura, inde jam oritur distinctio inter actum naturalem
" & personalem; quædam enim de Christo homine prædicantur se-
" cundùm actum naturalem, quæ scilicet ex principiis humanæ
" naturæ constitutivis oriuntur, & quæ cum omnibus hominibus
" habet communia; quædam secundùm actum personalem, quæ
" scilicet ratione unionis personalis ipsi competunt; illa naturaliter

" secun-

" secundùm essentiam, hæc personaliter secundùm existentiam Ipsi
" competunt. Falsum enim est quod nonnulli disputant, *persona-*
" *liter* non posse dici nisi de persona. At subsistere in λόγῳ prædi-
" catur de assumta carne, non *essentialiter*, non *accidentaliter*, Ergò
personaliter. Hæc utique cum Vestra sententia, si eam rectè intelli-
go, quomodo conciliari possint non video.

EIR. Nonnulla quidem eorum quæ dixisti paulò incommodiùs expressa videntur; ea tamen ubi ex ipsius *Gerhardi* verbis explicata habueris, nostræ sententiæ consentanea esse perspicies. Quò luculentiùs autem & solidiùs id fiat, quatuor potissimùm nobis erunt consideranda; Primò, *Immensitatem Divinam non esse concipiendam per modum extensionis & quantitatis corporeæ.* Secundò Unionem *inter duas Naturas non esse localem.* Tertiò, *Humanam Naturam virtute unionis personalis non esse intrinsecùs exæquatam Divinæ.* Qrartò, *Phrasin hanc* extra aliud esse, *diverso sensu posse intelligi.* Quintò, *diversis quoque modis aliud alteri præsens esse.* Quantum ad *primum*, extra controversiam est inter utriusque partis Theologos. Immensitatem Divinam non esse extensam nec quantitativâ mole locis respondere. Probamus omnes illud *Augustini*; *In eo ipso quo Deus dicitur ubique diffusus, naturali resistendum est cogitationi, & mens à corporeis sensibus avocanda, ut quasi spacioſa magnitutine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut fumus, aut humor, aut aër, aut lux ista diffunditur. Omnis enim hujuscemodi magnitudo minor est in sui parte quàm in toto.* Et quod alibi Idem; *sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed subsistantia creatrix mundi sine labore regens & sine onere continens mundum. Non tamen per spatia locorum quasi mole diffusâ, ita ut in dimidio corpore mundi sit dimidius, & in alio dimidio dimidius atque ita per totum totus, sed in solo cœlo totus & in sola terra totus, & in cœlo & in terra totus & nullo contentus loco, sed in se ipso ubique totus* Unde illos quamvis barbaros atque rudes *Hildeberti* rhythmos cum *Gerhardo* laudamus;

Alpha & O, magne Deus
Eli, Eli, Deus meus;
Cujus virtus totum posse;
Cujus sensus, totum nosse;
Cujus esse, summum bonum;
Cujus opus; quicquid bonum;
Super cuncta, subter cuncta;
Extra cuncta, intra cuncta;
Subter cuncta nec substratus,
Super cuncta nec elatus,
Intra cuncta nec incluſus,
Extra cuncta nec excluſus,
Super totus præſidendo,
Subter totus ſuſtinendo,
Extra totus complectendo,
Intrà totus in complendo,
Intrà nuſquam coarctaris,
Extra nuſquam dilataris;
Subter nullo fatigaris,
Super nullo ſuſtentaris;
Mundum movens non moveris,
Locum tenens non teneris.

PHIL. Ego vero exiſtimabam Vos Omnipræſentiam Dei, per modum diffuſæ quantitatis concipere. Certè non nemo Noſtrûm fuſiùs id probare intendit, in *Neſtorianiſmo Calvin. cap.* IV.

EIR. Scio equidem graviſſimum illum, errorem dicam an blaſphemiam? nobis imputari. Verùm à crimine iſto penitùs immunes nos eſſe conſcientiæ noſtræ totque Noſtrorum Theologorum præclara contra *Vorſtium*, *Bidellum*, *Socinianos* edita ſcripta teſtantur. Immenſitatem Dei ipſam eſſe Dei eſſentiam, ſimpliciſſimam eam, individuam, non coëxtenſam locis, non commenſurabilem

bilem, profitemur Omnes. Ut certè ſubeat mirari, quomodo dul orum ſibi è diametro manifeſtiſſimè oppoſitorum errorum ſimu- poſſimus accuſari; quòd ſcilicet Deitatis eſſentialem atque ſubſtan- tialem immenſitatem omninò negemus, nec Deum aliter quàm Virtute ſuâ atque potentiâ, (quæ ab Eſſentia juxta hancopinionem reverâ diſtigueretur) Creaturis omnibus præſentem credamus, & ipſum ſimul tamen ſtatuamus quantitate ac mole per omnia loca expanſum. An quenquam Noſtrûm uſque adeò delirare exiſti- mes, quitàm ἀσύστατα loquatur? Jam igitur *primum* axioma com- muni conſenſu comprobatum maneat; Dei immenſitatem in ex- tenſione non conſiſtere; unde nec ejus Omnipræſentiam per coëx- tenſionis modum concipi debere patet. Alterum *axioma* cujus meminiſſe oportet, hoc eſt; *Unionem hypoſtaticam non eſſe localem.* Utique ſi localis eſſet, jam Deitas in loco eſſet, inque eo conſiſteret Unionis myſterium, quòd humana natura ad illum locum, ubi Dei- tas requieſcit, acceſſiſſet. Equidem non opus eſt fuſiùs hoc agere, jam enim ex *Gerhardo* audivimus, Unionem hypoſtaticam localem non eſſe. *Tertium* igitur conſiderandum; ex *unicne hypoſtatica hu- manam Naturam non eſſe intrinſecus Divinæ exæquatam.* Hoc eſt quod Veſtri non minùs quam Noſtri Theologi docent. Sic *Gerhardus*,, *de Perſona & officio Chriſti. §. 43. Non coæquatæ ſunt hæ duæ naturæ, cùm aſſumta Natura finitatem ſuam non amiſerit.* Et idem §. *48. Non eſt* ὁλόγος *propter perſonalem in finita carne inhabitationem factus fini- tus, nec caro propter aſſumtionem ſive* πρόσληψιν in λόγον *infinitum fa- cta eſt infinita.* Iterum §. *52. Breviter, manet finita caro in ipſa unio- ne, proinde non fit naturarum coæquatio vel exæquatio.* Eadem alibi fuſiùs, quæ prætermittimus compendii cauſa. Interim hoc ipſum accuratè conſideres rogo, mi *Philatethes*, nec ejus poſteà adeò facile obliviſcaris, ſcilicet & humanam naturam in ſe omninò *finitam*,

& Divinam in se omninò *infinitam* manere. Restat *quartò* consideremus non nno modo *unum extra alterum* esse. Quicquid enim de alterius essentia non est, certè *extra* alterius essentiam dici potest; & hoc vocant *extra essentiale*. Hoc sensu, licet anima mea & corpus sibi invicem arctè in conjuncta, una tamen illarum partium est extra alteram; nec enim corpus est intra definitionem animæ, nec anima in formali suo, ut loquuntur, conceptu includit corpus. Sic in ferro ignito ignis est extra ferrum, ferrum extra ignem; nec enim ignis constituit essentiam ferri, nec ferrum constituit ignem. Secundò, dicitur aliquid *extra* illud poni à quo producitur, non quod anteà ibi reapse extiterit, sed quòd cùm ab eo potuerit antea produci jam actu productum fuerit; Ita enim creata existentia definitur, *quòd si rei extra suas causas positio*. *Tertiò*, dicitur aliquid, *extra*, respectu *subjecti*, ut accidens quocunque subjecto non inhæret extra illud dicitur. *Quartò*, respectu *loci*; sic qnicquid ab aliquo non continetur, extra illud est. *Quintò*, respectu *Totius*, quicquid non est illius pars. Huc analogicè reducitur, *extra*, respectu *suppositi*, quo sensu natura inadæquatè suppositum constituens, *intra* illud est. *Sextò*, respectu *compartis* vel *quasi-compartis*, quo significatu forma, dum informat, extra materiam non est, nec quicquid arctè alteri implicitum atque illigatum, extra illud dicitur. Huc analogicè reduci potest, illud sive *extra* sive *intra*, quod concipitur respectu eorum quæ eandam habent *subsistentiam suppositalitatis*. Alios modos τῶ *Extra* (quorum equidem sunt complures) nunc prætermittam. Restat *quinta* observatio *Præsentiam* scilicet vario quoq; significatu accipi. In universum, res non alio modo præsentes esse possunt quàm existunt. Præsentia enim essentiam sequitur, ut *relata* sequelæ sunt *absolutorum*. Est præsentia *hyperphysica essentialis* quâ Deus Pater, Filius, Spiritus Sanctus sunt sibi præsentissimi. Est præsentia, quâ duæ naturæ in Christo, in eadem nimirum individua persona, sibi maximè præsentes sunt. Est præsentia

metaphysica

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0042
Mecklenburg Vorpommern

metaphysica Angelorum, aliorumvè incorporeorum Spirituum; est præsentia *localis* vicinorum corporum; estpræsentia *virtutis* & *mediata, causationis*; est præsentia *objectiva* respectu facultatum sive sensitivarum sive moralium aut spiritualium; sic non solùm ea quorum substantia à nobis abest, verùm & ea quæ omninò nullibi existunt, nostræ imaginationi, nostro intellectui, nostræ voluntati præsentia sunt. His ita præmissis, de quorum veritate dubitare equidem nemo potest, jam omnia quæ dixisti perspicuè ac nullo negotio concilianda suscipio. Quidni statuamus Omnes, *duas in Christo naturas sibi invicem præsentissimè præsentes esse?* Nunquid communis nostra fides est, arctissimam atque intimam inter eas intercedere unionem? Quomodo igitur eas sibi præsentissimas negem? Dixisti, *non partem parti, sed totum λόγον toti carni & totam carnem toti λόγῳ esse unitam.* Quis nostrûm aliud dicat? Cùm enim λόγος omnium partium sit expers & omnimodo totaliter sit totus, cùm non per extensionem & quantitativam difusionem sit immensus, quomodo pars ejus parti unita cogitari potest? Adduxisti, nec *λόγον esse extra carnem, nec carnem extra λόγον.* Certè si arctior earum est unio quàm in ignito ferro ferri & ignis, id quod utrinque profitemur, & si utraque natura eandem habet subsistentiam, quomodo illa *extra* hanc, hæc *extra* illam dici posset?

PHIL. Certè Vestri Doctores constanter hactenus id affirmârunt, Sic *Zanchius*; *Divina Natura tota est in humana. & tota etiam extra humanam naturam.* Sic reliqui Vestri ad unum Omnes.

EIR. Rectè *Zanchius*, rectè Nostri, & Vestri. In memoriam quæso revoca, quæ de diversis modis τῶ extra diximus, quæque ipse approbâsti. *Divina natura tota est in humana*, Rectè. Totus enim λόγος est incarnatus, non certè pars λόγε. Sed & *tota Di-*

vinanatura est extra humanam. Quin attende quæso. Estne divina natura per unionem transmuta?

PHIL. Nequaquam. Eutychianorum sit delirium.

EIR. Estne humana natura Divinæ exæquata?

PHIL. Minimè. Manet enim, quod jam ante diximus ut Divina natura in se infinita, ita humana in se finiia.

EIR. Jam habeo quod volo; jam sumus conciliati. Si Natura humana non est exæquata Divinæ, si non est reddita infinita, sed in se finita manet, utique manifestum est humanam à Divina excedi, sicque Divinam extra humanam esse.

PHIL. Quid; humana natura sit extra Divinam?

EIR. Non ratione *loci*, mi Philalethes; cùm enim nec *Divina natura* sit in loco, nec *Unio* facta sit juxta locum, nihil est quòd de loco hîc cogitemus: sed ratione *essentiæ*, ut jam dudum explica vi

PHIL. Quis hoc neget nisi Eutychis assecla, divinam naturam esse extra humanam, si τὸ *extra essentiale* intelligas; Hoc enim nihil aliud notat quàm *Divinam naturam non esse eandem cum humana.* At verò si hæc est orationis istius significatio, cur non pari ratione asseritis, *humanam esse extra Divinam*?

EIR. Id quidem eodem sensu dici posset; verùm alia est ratio, ob quam frequentiùs affirmatur Divinam extra humanam, quàm humanam extra Divinam naturam esse. Nimirum natura Divina infinita est æternumque manet, humana in se est finita neque unquam in se devenire potest infinita. Jam autem finitum extra infinitum non concipitur, concipitur verò infinitum extra finitum, non *extraneitate* quidem *locali* aut *quantitativa*, quasi Deitas extra carnem spaciosâ magnitudine extenderetur sed *extraneitate perfectionali, virtuali ac potestativa*, quatenus Deitas in se, ratione suæ propriæ infinitatis plus habet perfectionis & inextensæ magnitudinis quàm essentialiter finita caro. Adde, quòd in natura Divina intrinsecùs considerata, omnes perfectiones, quas humana natura intrinsecus

NB. cum autor explicet phrasin extra naturam esse idem valere ac extra essentiale, ac porro naturam divinam alteri subesse infinitum seu essentiale, humanæ verò naturæ finitatem seu essentiale, ad evincendum concludat, Divinam naturam esse extra humanam naturam, id est essentiam divinæ naturæ non esse essentiam humanæ naturæ, in hac expositione Lutheranos doctores non habet dissentientes. verùm autor noster deserit statum controversiæ, in quo quæritur, an de humana natura in statu unionis dici possit, quod divina natura sit extra eam, i.e. extra unionem cum humana natura, extra communionem [illegible] et proprietatum essentialium. Quod cum non concedat, ipsius [illegible] manet

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0044
Mecklenburg Vorpommern

secus habet *virtualiter* vel *eminenter* continentur; non verò viceversa quicquid est in Deitate, illud vel eminenter vel virtualiter vel formaliter includitur in essentia humana. Ergò certè ratione *magnitudinis Metaphysicæ*, hoc est, ratione *essentialium perfectionum*, λόγος infinitè exuperat carnem essentialiter consideratam.[f] Nunquid igitur infinitæ perfectionis λόγος, sunt extra essentiam carnis? Nec tamen dici potest ita absolutè & eadem ratione, quòd perfectiones essentiales carnis sint *extra* λόγος essentiam: Licet enim & illæ *formaliter* sint extra λόγος essentiam, *virtualiter* tamen & *eminenter* in ea sunt. Revoca in memoriam ea quæ juxta nos docetis contra *Schvvencfeldium*, scilicet humanam naturam in se spectatam æternùm creatam manere. At omnis creaturæ perfectio virtualiter & eminenter est in Creatore, non contrà omnis Creatoris perfectio est in creatura. Tribus adhuc verbis idem colligam; equidem vel tibi dicendum est, carnem coæquari λόγῳ, vel profitendum carnem λόγῳ esse inadæquatam.[g] Illud negas, hoc asseris. Rectè. Ergò λόγος in se major est carne, Ergò est & extra carnem.

PHIL. Non est major *localiter & extensè.*

EIR. Nec ego dico esse extra *localiter & extensè.*

PHIL. Ergò nihil aliud dicis, quàm λόγον in se consideratum infinities excedere perfectionem carnis in se consideratæ, adeoque hoc præcisè sensu λόγον esse extra carnem. Idverò & nos profitemur.

EIR. Jdipsum est quod pertendo, demtis verborum ambiguitatibus nihil inter nos esse controversiæ.

PHIL. Sed si λόγος essentiali sua infinitate superat essenti

alem

[f] id quidem recte asserit Augustinus, sed inter differentiem quæ sit inter infinitatem perfectionis λόγου, qui caro factus est, in ejus carne sunt extra carnem. Illud negat Paulus. ejus Col. II. 9. Sed hoc, omnem plenitudinem Deitatis habitare in Christo Corporaliter.

[g] in unionis statu de Christo homine sentat Paulus Phil. II. 5. 6. ejus Deus adhuc eandem optimitatis possessionem perfectionis λόγου, sed disparitatem modus quo divina natura eas possidet per se & essentialiter, humana vero eas accepit & possidet per unionem.

alem finitudinem carnis, quomodo λόγος, ubicunque est, præsentissimam sibi habet carnem? Ibi enim ubi humanam naturam excedit, non è propinquo sed è longinquo Ipsi λόγος est

EIR. Equidem nec *excessus* ille, nec præsentia *localis* est. Non *excessus*, λόγος enim non est in loco, Ergò non excedit loco; nec carne junctus est localiter, Ergò nec dici debet ipsi præsens localiter. Quid igitur *propinquum* vel *longinquum* hìc obiicis, cùm hæc locorum sint differentiæ? Habet autem certè λόγος carnem ubique sibi præsentissimam, illâ præsentiâ quâ duæ naturæ in eadem persona sibi non possunt non Præsentes esse: non ergò præsentiâ solùm *essentiæ*, juxta quam à nemine nostrûm distat; nec *Virtutis* juxta quam in omnibus potenter agit; sed & intimâ *personali* præsentiâ, Immensa λόγε Natura carni in se-finitæ præsens est. Quod verò asseruisti, *labefactari unitatem personæ, si dicatur λόγος esse extra carnem, quocunque respectu id explicetur*; ita accipio, quòd demodo *extraneitatis essentialis* non, cogitaveris, ut ea quæ subjecisti verba clarè explicant. Nam & asseris, corpus Christi tempore conceptionis & gestationis non fuisse extra uterum Mariæ Virginis, quoad situm naturalem & propinquitatem *localem*; profiteris tamen λόγον eo ipso tempore *cœlos ac terram repleviſſe*, nec à quacunque creatura abfuisse

PHIL. Verùm adde reliqua, scil. naturam humanam sortitam esse in unione modum subsistendi *illocalem*.

EIR. Nimirum hoc dicis carnem Christi in se localem illocali modo unitam esse τῷ λόλῳ. Quis nostrûm non idem dicat? De præsentia igitur λόγε ad carnem & carnis ad λόγον nulla inter

nos

nos est controversia, quod & *Gerhardus* agnovit, quando τὸ *extra Nestorianum* à *Wetzelio* rectè improbatum fuisse dicit §. 123. Quare non opus erat ut contra *Nestorianum* illud *extra* prolixiùs disputaret, quasi nos oppugnaturus: siquidem easdem omninò rationes quas ille protulit contra Nestorium, & nos adhibemus. Quòd verò existimat *de præsentia Christi* θεανθρώπε *erga creaturas nos minùs rectè sentire, quodque addit unionem personalem nullâ creaturâ posse divelli, nec ullam creaturam posse* τῷ λόγῳ *esse viciniorem & propiorem suâ carne*, atque adeò quantum ad *Omnipræsentiam* carnis Christi respectu creaturarum, de eo disceptabimus, ubi ad explicationem *communicationis Idiomatum* fuerit deventum. Interim hactenus nihil est dissidii.

PHIL. Hucusque quidem inter nos convenit. Nec in *sexto porismate* dissidemus; scilicet, *quia* λόγε ὑπόστασις *carnis hypostasis facta est, unum ideò in Christo esse* ὑφισάμενον. Jam enim anteà explicasti mentem Eorum qui contrarium visi sunt asserere. Nec puto *Octavum porisma* in controversiam venire: nimirum, quia λόγε ὑπόστασις est facta carnis ὑπόστασις, ideò λόγ⊙ cum propria sua carne est secunda Trinitatis persona. Cùm enim assumta persona non seorsim subsistat, nec peculiarem constituat personam, sed in unitatem personæ τῦ λόγε sit evecta, qui in utraque natura Divina & humana subsistens est secunda Trinitatis persona, ideò piissimè creditur & rectissimè dicitur assumtam naturam personaliter ad Trinitatem pertinere, quia personaliter pertinet ad λόγον, qui est secunda persona Trinitatis, ac ut personaliter non est extra λόγε ὑπόστασιν, ita quoque personaliter non est extra Trinitatem.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0047
Mecklenburg Vorpommern

EIR. *Beza* quidem ſubveritus ne *Schvvenkfeldianiſmi* venenum ſub iſto poriſmate lateret, ſtatuit naturam humanam in unione manere extra Trinitatem. Scilicet hoc voluit, eam non eſſe intrinſecùs Deificatam adeoque eſſentiam Dei ex eâ non conſtitui; Quod veriſſimum eſſe, ipſemet concedis. Non negavit tamen nec ille nec quiſquam Noſtrûm carnem eatenus Trinitati internam, quatenus eſt propria ſecundæ Trinitatis perſonæ caro. Hoc ipſum *Gerhardus* rectè docet; *Humana natura Chriſti non eſſentialiter ſed perſonaliter facta eſt Trinitati interna. Qui carnem aſſumtam ſecludit à conſortio Trinitatis, eandem ſecludit à conſortio Verbi.*

PHIL. Nullus reſtat ſcrupulus præter eum quem cepi ex ſimilitudinibus, quas ad illuſtrandum Vnionis myſterium ſoletis adhibere. Ut de *Planeta affixo ſuo orbi, de gemma incluſa annulo, de clavo affixo rotæ, de Antverpia adjacente mari, de linea tangente circulum in uno puncto, &c.* Iſtæ certè comparationes, præterquàm quòd Deitatem expanſam & mole diffuſam inſinuant, falſam omninò unionis hypoſtaticæ ideam exhibent. Unde Lutherus quoque argumentum habuit de vobis exiſtimandi, quòd *concipiatis Deum magnam quandam eſſe & latam eſſentiam, quæ mundum impleat, & extra mundum ubique emineat, ac ſi è pleno ſacco gramen ſupra & infra extet, modo corporali & ſenſibus comprehenſibili: Unde conſequeretur juxta ſpiritum Zvvinglianum, corpus Chriſti eſſe merum figmentum & phantaſma, velut magnum ſaccum in quo Deus inſit cum cœlo & Terra. Tom.* III. *Germ. 461.*

EIR. At verò Deum Omnipotentem conteſtamur, nunquam iſta in mentem nobis veniſſe. Abſit ut Dei gloriam in tàm horribile monſtrum convertamus. Iſtæ verò comparationes, quarum plerasque & Patres & Veſtri Theologi adhibuerunt, nihil aliud quàm τὸ *eſſentiale extra* inſinuant, nihilque aliud docent quàm humanam naturam Divinæ non exæquari. Utique ipſe nihil aliud affirmas,

firmas, quando doces, corpus Christi cùm gestaretur in utero extra uterum localiter non fuisse, λόγον tamen impleviſſe cœlum & terram, non impletione quidem corporali & quantitativa, sed incomprehensibili nobis atque ineffabili, quæque immensam ac simplicissima m Dei majestatem deceat. De cœtero utrinque convenimus, modum unionis hujus esse mirabiliter singularem & singulariter mirabilem, qui omnium non modò hominum sed & Angelorum captum transcendat, un de ὁμολογεμένως μέγα μυστήριον & πρόσληψις ὑπερκατάληψιν dicitur. De eo igitur quid obsecro subtiliùs erat contendendum? Quin omninò mirandum est, in re usque adeò abstrusa & incomprehensibili nos adeò exactè consentire.

PHIL. Satis quidem commodè omnia intelligo conciliata, quæ ad explicationem Unionis hypostaticæ pertinent. Graviora verò nobis restant enodanda de *Naturarum & Idiomatum communicatione.*

EIR. In iis quoque plenum demonstrabo consensum, annuente *Intelligentiæ & Charitatis* Spiritu, cujus gratiam in eum finem animitùs imploro. Verùm amplius istud est argumentum quàm quod nunc à nobis pertractari possit; in crastinum igitur differamus. His dictis, cùm jam uterq; & audiendo & loquendo defatigati essent jamque vespera immineret, é nemoris illo secessu lentâ deambulatione inter vitiferos colles & placidum Nicri fluentum in urbem redeuntes, mixtis aliis sermonibus, postridie reliqua se examinaturos esse, mutuam sibi fidem addixerunt.

Altero die, Cœlo vixdum albescente, *Eirenophilum* Philalethes invisit, cumque in Museo uterque consedisset, ibi prior Philalethes; Diligenter ipsa hac nocte perpendi, mi *Eirenophile*, quàm perspicuè ac planè consensum inter Vestros NostrosqueTheologos circa Unionis hypostaticæ naturam hesterna die demonstraveris:

ris: Unicè exopto quæ obscuriora vel intricata circa *Naturæ*, & *Idiomatum communicationem* restant explanare suscipias,

EIR. Ad duo capita quicquid restat revocari potest. *Primum* est de *Naturarum*; Alterum de Idiomatum *communicatione*. Quantū ad primum *Gerhardus* docet L. IV. *de persona & Officio Christi §. 148. Ex unione personali*, quam in subsistentiæ-communicatione ponit, oriri naturarum communicationem. Eam verò definit quòd sit arctissima & intima divinæ naturæ τῦ λόγυ & assumtæ humanæ κοινωνία ac συνδύασις, per quam ὁ λόγος assumens naturam humanam personaliter assumtam sibique unitam, intimâ ac profundissimâ περιχωρήσει permeat, perficit, inhabitat sibique appropriat, ut ex utraque sibi invicem communicante fiat unum incommunicabile, una scilicet persona, ac tales resultant prædicationes, per quas concretū unius naturæ de concreto alterius naturæ verè & realiter dicatur. De hac quidem naturarū comunicatione disputari potest, an formaliter an *realiter* ab hypostatica unione differat; nūquid etiā differat à comunione naturarum, ita ut communicatio sit veluti actus, communio verò ut communicationis terminus, status acpermanentia. Verùm nihil attinet ista disquirere, utpote quæ in logica tantùm ἀκριβείᾳ consistunt, rem verò ipsam non tangunt. Illud autem dispiciendum est, an hujusmodi communicationem Nostri Theologi admittant. Cùm unionem hypostaticam inter duas Christi naturas firmiter credamus, quomodo earum negaremus communicationem; Quomodo enim ea quæ arctissimè juncta sunt, secum invicem non communicarent? Utique omnes compartes vel quasi-compartes & quicquid unitum est cum altero, in mutua communione atque consortio sunt. Unionem hypostaticam in Christo arctiorem longè profitemur eâ quâ anima & corpus

per

" per mutuam unionem quandam sortiuntur κοινωνίαν, ob quam a-
" nima dicitur ἐνσώματος & corpus dicitur ἔμψυχον, quia anima ut
" ἐντελέχεια corpus ut δύναμιν perficit, inhabitat ac cum eo natu-
" ram suam ita communicat, ut cum corpore constituat unum
" compositum ac suppositum, quod est homo: sic omninò divina &
" humana natura in Christo per unionem personalem talipartici-
" pant κοινωνίᾳ, ut natura Divina τῦ λόγυ habitet in humana, eam
" perficiat, eandem sibi appropriet & cum ea constituat unam per-
" sonam, quæ est & dicitur Christus. Sicut ferrum & ignis eo mo-
" do uniuntur, ut κοινωνία quædam ipsis intercedat, propter quam
" ferrum dicitur ignitum: sic propter divinæ & humanæ naturæ in
" Christo unionem homo dicitur Deus & Deus homo.

PHIL. Hæc quidem nostra est sententia, verùm hactenus aliud docuerant Theologi Vestri.

EIR. Minimè verò. *Communicationem quidem realem naturarum* aliquo sensu negaverunt, illo verò quem explicavimus, constanter eam docent.

PHIL. Quo igitur sensu eam negant?

EIR. Dicam. Eo sensu qui *commixtionem* aut *transmutationem*, *confusionem* aut *transfusionem* infert. Nam illud communicationis genus, quo duo secum invicem unita, essentialiter tamen distincta, secum invicem participant, nemo qui unionem hypostaticam à nobis hesterna die explicatam admittit, sine manifesta contradictione potest negare.

PHIL. Certè igitur plenum inter nos consensum video. In eo solùm fallimur quòd nec Vos nostram, nec Nos vestram sententiam satis accuratè expendisse videmur. Nec opus est in hanc rem aliâ commentatione præter eam quam exhibet *Gerhardus* §. 153.

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0051
Mecklenburg Vorpommern

Quæritur *inquit*, *l.l.* An propter realem communicationem naturarum dici debeat vel possit, natura Divina est humana & humana est Divina? Id quidem sibi persuaserunt Iesuitæ & Calvinian i, qui propterea quòd Divinitas de humanitate & humanitas de Divinitate in abstracto prædicari nequeat, realem Naturarum Communicationem negant. Viden? Aversatur *Gerhardus* hunc loquendi modum, quòd Divina sit humana, humana sit Divina natura. Idem ergo aversatur quod nos, naturarum scilicet transmutationem aut confusionem. Dicit autem nos existimare, ex Ipsius principiis istos loquendi modos sequi, quos ipse tamen sequi negat. Quo verò fundamento negat? quia scilicet non talem *cummunicationem Naturarum* statuit, qualem nos reiicimus: quam si statueret, certè & statuenda esset illa unius naturæ de altera abstractè sumpta in casu recto prædicatio.

PHIL. Consensus noster manifestiùs apparebit, ubi *Gerhardi* rationes audies, quibus Ille concludit prædicationem directam uniùs naturæ de altera in abstracto legitimam non esse. Primò inquit, aliud est essentialis mutatio ac conversio, aliud verò realis communicatio, si Divinitas in humanitatem essentialiter mutata ac conversa esset, vel humanitas à Deitate absorpta, tunc demum rectè & verè diceretur, Divinitas est humānitas & humanitas est Deitas; sed quia non naturarum conversionem, non essentiæ mutationem, non alterutrius naturæ abolitionem, sed realem Naturarum communicationē ex personali unione resultantem statuimus, ideò Deum esse hominem & hominem esse Deum dicimus. Secundò, quicquid cum altero καθ' ἕνωσιν communicatur, non in abstracto sed in concreto ac παρωνύμως de illo prædicatur. Quare cùm communicatio illa naturarum quam in Christo statuimus facta sit καθ' ἕνωσιν, per & propter unionem personalem, ideò

" deò non dicimus in abstracto, Divinitas est humanitas, sed in con-
" creto *Deus est homo*. Tertiò, quemadmodum ob communicatio-
" nem ὑποστάσεως dico, quòd natura Christi humana sit ἐνυπόστα-
" τος ὑποστᾶσα ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ non autem quòd sit ipsa ὑπόστασις
" τοῦ λόγου, ita ob communicationem naturarum non dico, quòd
" humana Natura sit Divina & quòd Divina humana, sed quòd De-
" us sit homo & homo sit Deus. 4. Sicut ob unionem ferri & ignis
" κατὰ συνδύασιν, non dico *ferrum est ignis* sed *ferrum est ignitum*: pro-
" pter unionem animæ & corporis non dico, *anima est corpus* & *cor-*
" *pus est anima*, sed *corpus est animatum* ἔμψυχον & *anima est* ἐνσώμα-
" τος, sic propter unionem personalem λόγου & carnis non dico,
" *humanitas est Deitas* & *Deitas est humanitas*, sed *homo est Deus*, non
" χρισωδῶς scilicet, verùm ὑποστατικῶς. Quid de his Tibi videtur?

EIR. Nemo nostrûm unquam negavit arctissimam communionem atque communicationem naturarum inter se, qualis nimirum inter quasi compartes intercedit. Sic *Leidenses in synopsi*; Ex unione sequitur naturarum κοινωνία, ut illius affectio ab illa dependens. Eiqui respondens. Ut enim duæ naturæ & earum proprietates verè & realiter, mediante persona, inter se uniuntur, ita una cum altera communionem & societatem habet, atque ita ut unio ita & communio realis est. Et sanè tàm hæc conjuncta sunt ut μετοχὴ, communio pro unione non rarò ponatur. Sic *Maresius Naturarum communionem primum unionis hypostaticæ consequens dicit.* Verùm eam negamus communionem, quæ tranffusionen aut conversionem inferat, quam cùm & vos reiiciatis, nihil est quòd ulterius contendamus. Jam igitur ad celebrem illam & magno fervore aliquot

aliquot seculis agitatam quæstionem accedimus *de Idiomatum communicatione*, quæ certè jam decisa est, si ad ea quæ hactenus de Unionis hypostaticæ natura deque naturarum communione dicta sunt, deligenter respicimus. Interim ne quid transilire videamur, illam quoque controversiam distinctiùs examinatam componemus. Ante omnia evolvenda est vocum ambuiguitas, *Idiomatum* scilicet & *communicationis Idiomatum* vox *latè* interdum, interdum *strictè* sumitur. *Latè* sumta, significat quicquid alicui proprium est, sive sit ipsa essentialis differentia, sive sit facultas inde emanans, sive sit facultatis actio, sive actionis opus, sive denique relatio & extrinsecæ actionis terminatio. Quo sensu nonsolùm *existentia à se ipso*, utpote quâ Dei natura explicatur, nec tantum *Omnipotentia* aut ejus actus *Creatio*, aut actionis terminus *Opus miraculosum*, sed etiam obiectivè atq; terminativè considerata; *adoratio*, Dei idiomata dicuntur. *Strictè* verò per Idiomata iutelliguntur sola attributa distinctè ab eorum sive operatione sive opere. Porro ad vocis hujus accuratiorem intelligentiã, diligenter cogitandũ, Idiomata Deistrictè dicta ab ipsa *Divina essentia* reverâ non ipsam esse Dei essentiam. Catholica hæc est & utrinque confessa fides, Infinitatem & simplicitatem adeoque Æternitatem, Immensitatem, Omnipotentiam non nisi nostro cogitandi modo ab ipsa Divina natura distingui. Quantum verò ad *idiomata* humanæ naturæ, an ea solâ ratione an & reipsa à natura cui insunt distinguantur nihil interest hîc disputare. Problema illud Metaphysicis scholis relinquendum. Quid per Idiomata intelligamus, jam vides.

Communicationis vocem pluribus modis ambiguam jam heri explicavimus. Tu modò, quæ tunc approbasti, in mentem revoca.

PHIL. Imò illa firmiter menti meæ infixa sunt, sed qualènam communicationis genus hîc inter Divinæ & Humanæ naturæ " proprietates statuas, scire percupio. Ego non agnosco 1. Verbalem

" lem, ſcilicet merè verbalem: nec 2. φυσικὴν μετέκβασιν, propri-
" etatum unius ſubjecti in alterum effuſionem, nec 3. Communi-
" cationem κατὰ μέθεξιν, qua ſcilicet unum in alterius eſſentiam
" atque definitionem tranſit, quâ ratione homo ut ſpecies, anima-
" lis ut generis eſſentiam ac definitionem participat, nec 4. talem
" eſſentialem participationem, quâ ex confuſione eſſentiarum &
" proprietatum eſſentialium oritur aliquid tertium, ut in melicrato:
" nec 5. talem cauſationem quâ cauſa aliqua alteri ſubjecto effe-
" ctum aliquem tribuit, ſicut Deus bonitatem ſuam Creaturis & Do-
" ctor artem diſcipulo communicare dicitur, ſed communicatio-
" nem agnoſco veram & realem, hypoſtaticam & ſuper-natura-
" lem, proximè accendentem illi quæ κατὰ συνδύασιν dicitur. Hæc
" confeſſio mea eſt, Gerhardi verbis contexta ex §. 175.

EIR. Confeſſio quam modo nunc edidiſti, & mea eſt.

PHIL. At verò, communicationem Idiomatum vos tantùm *verbalem* ſtatuitis.

EIR. Abſit, mi Philalethes. Communicatio enim purè verbalis non eſt niſi communicatio materialis ſoni vel figuræ. Itane totum hoc myſterium in eo ſitum eſſet, ut Chriſto Homini ex. gre quadriſyllabicus hic ſonus, *Omnipotens*, attribueretur? Quænam hæ forent ineptiæ? Quemnam noſtrûm adeò, non frigidum dicam & jejunum, ſed Nugacem imò delirum fuiſſe putas, qui omnem iſtam communicationem in caſſos ſonos aut literas abire juſſerit? Enimuerù illa proprietatum participatio verbis enunciatur, ſed verbis ſenſus ſubeſt, & ſenſui ſubeſt objectiva veritas.

PHIL. Quid igitur communicationem illam per *prædicationem* definitis?

EIR. Per prædicationem non ſimpliciter *ſubjectivam* & *formalem* ſed *objectivam* & *realem*. Κοινωνία ἰδιωμάτων *in perſona Filii*

Dei non est Grammatica tantùm seu verbalis? sed vera Realis, inquit *Cloppenburgius* Noster. Et *Altingius exeg. Confess. August. art. 11.* quòd realem Idiomatum communicationem negemus, inter calumnias ponit. *communicationem*, inquit, *idiomatum realem, imò realissimam agnoscimus ac docemus.* Et *Trelcatius. Idiomatum communicatio propter diversum considerationis modum & realis est & verbalis.* Et *Maresius*? *Communicatio hæc, si fundamentum spectetur, unio scilicet hypostatica*, realis *est*; *si modus loquendi, verbalis.* Verùm maxumopere demiror, cur nobis id obiicias, in quo non *Melanchthonem* solùm, sed & *Lutherum* Ipsum & *Chemnitium* secuti sumus, qui communicationem istam, *phrasin* & *prædicationem* vocant.

PHIL. Vocarunt ita, seo non *exclusivè*, quasi tantùm esset " verbalis prædicatio, verum *notificativè*, quòd sit talis loquendi mo- " dus cui res ipsa respondeat. Intelligunt enim talem phrasin ac " prædicationem cui res ipsa subsit. Communicatio enim consi- " deratur vel realiter tantùm, vel realiter, æ nominaliter simul, pro- " ut in prædicatione effertur. In prirori consideratione non est " prædicatio sed in posteriore, verùm non verbalis tantùm, sed & rea- " lis, Ita *Gerhardus.*

EIR. Quantum quæso hæc responsio distat ab ea quam anteà dedi? Ne hilum quidem.

PHIL. Etiamsi admittatis realem communicationem idiomatum in *concreto*, negatis tamen *communicationem in abstracto*, *sive naturæ ad naturam, realem esse*, ut expressè habet *Altingius l. c.* Imò *Cloppenburgius* anteâ laudatis; in *natura Divina vel humana ne verbalis quidem aut Grammatica κοινωνία ἰδιωμάτων fieri potest.*

EIR. Nimirum Vos tria statuitis communicationis Idiomatum genera; Nostri Theologi unum tantùm videntur approbare. Igitur dispiciendum est, an dissidium illud verum sit, an modo tantùm loquendi & diversa methodi ratione consistat. Ubi hoc discusserimus,

cusserimus, patebit evidentissimè, quo sensu κοινωνίαι ista realis, quonam verbalis, ex utriusque confessione dicatur.

PHIL. Jam in eo evidens discrimen est, quòd Vos duo communicationis genera, quæ non statuimus, reiicitis.

EIR. Evidens discrimen *methodi*, non *rei*. Ita evenire solet quàm sæpissimè ut sub diversa tractandi ratione latère videatur diversa sententia, quæ tamen eadem est.

PHIL. Cur igitur, si re ipsa discrimen nullum esset, nostri omnes constanter tria κοινωνίας ἰδιομάτων genera recensent, Vos omnes contrà non nisi *unum*?

EIR. Ratio manifesta est. Cùm Vestri Theologi cœpissent in Methodicis suis Systematibus tria congerere; Nostri verò, ob rationes quas posteà videbis, unum tantùm nominassent, utriusque partis Auditores ac Discipuli suos secuti sunt Magistros, & cùm sibi mutuò alienas sententias attribuerent seque quàm maximè divisos putarent, in hoc quoque existimarunt aliquod dissidii momentum esse. Sed nec vos constanter *tria* enumeratis, nec omnes Nostri *unum* tantùm recensent. Sunt ex vestris qui *quatuor* ponunt; fatetur *Gerhardus Danæum* Nostrum & *Bistenium tria* recensere. Præterire hîc non possum puculla *Calixte*; postquam primum genus communicationis explicâsset, subiicit, illud *solum usitatè & propriè in scholis olim appellatum fuisse, usque quò communicationi Majestatis & operationis à nonnullis idem nòmen tribui cœpit. Sed quod vocabula, inquit, & appellationis attinet, faciles esse debemus, ut & quod ordinem, quippe nonnullis secundum genus est quod Aliis tertium, & His secundum quod tertium illis.* Hæc Ille *in Comp. Theol. p. 159.* Rectè. Quod si disceptatio ist hæc de *numero* tantùm *numerante*, non verò de *numero numerato* sit, pura erit λόγομαχία. An in tribus diversis loculis thesaurus tibi donetur, an in uno, quid interest? Modò scilicet eodem

thesauro diteſcas. Eadem doctrina ſive continuâ ſerie ſive per dichotomiam ſive per trichotomiam proponatur, quid refert, modo eadem ſit doctrina? Quòd ſi igitur demonſtravero, Theologos noſtros, quamvis aliis dicendi formulis atque aliâ methodo, omninò tamen idem docuiſſe quod *Gerhardus* docet, jam promiſſis meis ſatisfecero. Diſpiciamus ergo quæ nam ſint *tria* iſta communicationis genera. Jam §. 186. *Gerhardus* eorum primum definit eſſe id quo *utriusque naturæ propria prædicentur de Chriſti Perſona.*

PHIL. Tu quid de primo iſto ſentias mihi primùm ediſſere.

EIR. Faciam, & quidem iisdem omninò verbis quibus toties laudatus *Gerhardus.* Circa hoc genus, inquit ille, notanda ſunt " quatuor 1. Ejus *fundamentum*, unitas nimirum perſonæ. Cùm " enim poſt factam incarnationem una Chriſti perſona in duabus & " ex duabus naturis, quarum utraque ſuis proprietatibus quaſi veſti- " ta eſt, ſubſiſtat, inde utriusque naturæ tàm divinæ quàm humanæ " propria de una Chriſti Perſona συνθέτῳ prædicantur. 2. *appellatio-* " *nes*, vecatur ἀντίδοσις, τρόπος ἀντιδόσεως ἐπίζευξις ὀνομάτων, ἰδιο- " ποιία & ἰδιοποίησις, ἐναλλαγὴ καὶ κοινωνία ὀνομάτων. 3. *ſubjectum.* " In hujus generis prædicationibus ſupjecti loco ſemper ponitur " pronomen perſonæ, ſive à Divina ſixe ex ὑψηλῶν ſive ex ταπεινῶν " fiat denominatio, ſive ab utraque denominatæ. Cùm enim " Chriſtus non ſit homo tantùm, nec Deus tantùm, ſed Deus & ho- " mo θεάνθρωπος, ideò de una Chriſti Perſona, & Divina & huma- " na prædicantur, neque inereſt ex qua Chriſtus ſubſtantia nomine- " tur, cum inſeparabiler manente unitate perſonæ idem ſit & totus " Hominis Filius propter carnem, & totus Dei Filius propter unam " cum Patre Deitatem. 4. *ſpecies & exempla.* Ad hoc primum genus

" nus communicationis idiomatum tales propositionis pertinent.
" 1. Cùm idioma Divinum prædicatur de Christo θεανθρώπῳ ut
" *Matth.* XXVIII. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.* 1. *Cor.* VIII.
" *Unus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum.* 2. *Cor.*
" XIII. *Iesus Christus in vobis est.* *Coloss.* III. *omnia & in omnibus Chri-*
" *stus* 2. Cùm idioma humanum prædicatur de Christo θεανθρώπῳ,
" ut *Luc.* II. *Christus natus est ex Maria Virgina.* 2. *Tim.* II. *Christus resur-*
" *rexit à mortuis* 3. Cùm idioma Divinum prædicatur de Christo
" Deo sive de Persona ab humanitate denominata. *Matth.* XX. *Fili-*
" *us hominis crucifigur.* 5. Cùm Idioma Divinum prædicatur de
" Christo homine. *Ioh.* VI. *Cúm videritis* Filium hominis ascen-
" dentem *ubi priús erat*, nempè in Cœlum, ubi tamen priùs non fu-
" erat nisi respectu Divinæ naturæ. 6. Cùm idioma humanum præ-
" dicatur de Christo Deo 1. *Cor.* II. *Dominus Gloriæ est crucifixus.* Et
" sanè quod sit Communicatio idiomatum, quando Idio, Idioma
" Divinum de Christo homine sive de Persona ab humanitate da-
" nominata, & quando idioma humaum prædicatur de Christo Deo
" sive Persona à Deitata denominata, quivis facile videt, sed dubi-
" um esse poterat, quare statuatur idiomatum communicatio, quan-
" do Divina de Deo & humana de homine prædicantur. Sciendum
" verò intelligi nomine Dei non Filium Dei ἀσαρκον sed ἐνσαρκον,
" ac nomine hominis non nudum hominem sed hunc hominem
" qui in personæ unitate est simul verus Deus: proinde non minùs est
" communicatio idiomatum, si dico, Filius hominis patitur, quàm
" si dico, Filius Dei patitur. V. *Reciprocatio.* Cùm unio naturarum
" sit reciproca, ideò etiam propositiones in hoc primo genere Com-
" municationis Idiomatum sunt reciprocæ, id est, de Christo θεαν-
" θρώπῳ æquè prædicantur Divina ac humana; de Christo Deo æquè

" prædicantur humana ac de Christo homine Divina. Quàm enim
" propria est Christo sua Deitas essentialiter per æternam à Patre ge-
" nerationem, tàm eidem propria est assumta caro à momento con-
" ceptionis personaliter per & propter unionem personalem, unde
" de uno eodemque Christo, de una eademque persona, & Divina
" propter Deitatem & humana propter humanitatem prædicantur.
" Quemadmodum prædicationes personales sunt reciprocæ, *Deus*
" *est homo, Homo est Deus*; ita quoque propositiones in hoc primo ge-
" nere communicationis idiomatum sunt reciprocæ. Cùm enim
" de Deo verè prædicetur homo, ideò de Eodem etiam verè prædi-
" cantur attributa humana; cum de hoc homine verè prædicetur
" Deus, etiam de eodem verè prædicantur attributa Divina. 6. *Par-*
" *ticula distinctivæ.* Quemadmodum duæ naturæ personaliter uni-
" tæ tamen manent essentiis suis distinctæ: ita quoque in hoc primo
" Communicationis idiomatum genere, propria utriusque naturæ
" prædicantur de Persona, interim adhibentur particulæ distinctivæ,
" quæ ostendunt juxta quam naturam unumquodque de Persona
" prædicetur. Utriusque naturæ idiomata tribuuntur personæ
" Christi non tamen illa fiunt utriusque Naturæ propria, sed cujus
" sunt propria, ejus etiam propria manent; personæ autem tribuun-
" tur, quia utriusque naturæ est una communis hypostasis. Ad
" hunc modum loquitur Paulus, quando de Christo dicit, *Rom. l. 3.*
" Filium Dei esse genitum ex semine Davidis *secundum carnem.* Et
" Petrus de Christo dicit. 1. *Petr.* III. Quòd sit mortificatus *carne*
" & passus *carne.* 1. *Petr.* IV. De quibus distinctivis particulis no-
" tandum *primo*, quòd ratione suæ propriæ & genuinæ significatio-
" nis non sint χωρισταὶ καὶ διαιρετικαὶ, quasi per eas naturæ separen-
" tur ac dividantur, ut humana tantum ad humanitatem & Divina
" tantum ad Divinitatẽ restringantur, sed sunt tum διοριστικαὶ natu-
" rarum ac naturaliũ proprietatum, tum ἐνδεικτικὴ τῶν κατ' αὐτὸ αἰτίων

mon-

" monstrantes causam primam & per se, quare humana *Deo* & *Di-*
" vina homini tribuuntur; secundò quòd ratione æquipollentiæ
" perinde sit, sive dicam *Christum passum esse* κατὰ σάρκα *Rom.* I. &
" IX. sive ἐν σαρκί. *Ephes. I.* Quandoque ponitur casus sextus 1. *Pet.*
" III. *mortificatus* τῇ σαρκὶ. 1. *Pet. III. Christo passo* σαρκὶ. Tertiò
" quòd ratione usus & Nestorianæ unius personæ divulsioni & Eu-
" tychianæ duarum naturarum confusioni opponantur: quia enim
" de uno & eodem Christo divina & humana prædicantur, ideò con-
" tra Nestorium asseritur *personæ unitas*; quia per particulas distincti-
" vas ostenditur, secundùm quam naturam utraque de Christo præ-
" dicentur, ideò contra Eutychen asseritur *Naturarum dualitas*,
" quodque non semper actu & expressè addantur, sed ex aliis Scrip-
turæ locis sint repetendæ. Luculenter satis *Gerhardus* sententiam
suam explanavit, nec uos nostram aliis verbis explicare possumus,
ita nostra cum vestra planè eadem est.

PHIL. Sed si hæc vestra est, quid fiet de Zvvingliana ἀλλοιώσει, quâ nomen personæ per abstractum naturæ exponitis, personalem unionem tollitis, Nestorianam divulsionem ponitis, negatis omnem veram κοινωνίαν adeoque totum Redemtionis nostræ mysterium evacuatis.

EIR. Bona verba quæso. Quid per ἀλλοίωσιν intelligatur priùs percipe; dein judica annon plane eadem sentiamus. Jam sub initium hujus disceptationis, Catholicam utriusque Ecclesiæ fidem clarè explicavimus, unum eundemque indivisum Christum esse, unam eandemque indivisam personam, unum *principium quod*, sed duas habere distinctas in se naturas, sive duo *principia quibus*. Cui consentit, Personam Christi sese habere ut *subjectum totale*, *adæquatum*, *attributionis*, duas verò naturas esse instar *subjectorum partialium* & *pro-*

& propriorum. Vulgatum est, sed verissimum; *Actiones sunt suppositorum.* Christus suppositum est: actiones quas elicet, Christi actiones sunt. Sed quoniam in illo supposito sunt duo distincta principia partialia, inde distinctæ quoque proficiscuntur actiones. Una persona Christi duos habet intellectus, duas voluntates; Intellectio infinita pariter & finita sunt Christi intellectiones. Sed ex quo *partiali principio* proficisci concipitur intellectio infinita? Utique à Divina Natura. Unde finita? Certè ex natura humana. Christus passus est & mortuus. Sed cùm Christus duas in se contineat naturas, Divinam & humanam; mortuusne est juxta utramque? Absit. Hæresis illa releganda ad Theopaschitas. Ergò secundum humanam. Illæ duæ naturæ in Christo sunt ἄλλο καὶ ἄλλο, Ergò uni indivisoq; Christo diversa competunt attributa κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, hoc est, secundùm aliam naturam. *In* hoc autem consistit ipsissima ἀλλοίωσις.

PHIL. Istam quidem ἀλλοίωσις, prout eam modò explicasti, nos omnes admittimus, & *D*amascenus eam crebriùs inculcat. Sed Zvvingliana ἀλλοίωσις ab isthac toto cœlo distat. Nos enim cum

" Damasceno per ἀλλοίωσιν nihil aliud intelligimus quàm ἀντίδοσιν,
" qua de una eademque persona, & *D*ivina & humana realiter præ-
" dicantur, κατ' ἄλλο tamen καὶ ἄλλο, quæ particulæ distinctivæ osten-
" dunt secundùm quam Naturam unumquoque de Persona prædi-
" cetur. Sed Cinglii ἀλλοίωσις pro nomine personæ substituit no-
" men naturæ, ac talem in hisce propositionibus fingit tropum, quo
" aliud dicatur, aliud intelligatur. Juxta Damascenum Deus verè
" & realiter est passus, sed κατ' ἄλλο, id est, secundùm assumtam

huma-

" humanitatem. Juxta Cinglium Deus non est verè & realiter pas-
" sus, sed humana tantùm natura Deitati unita est passa.

EIR. Imò inter Nostram, & Damasceni ἀλλοίωσιν nulla excogitari potest differentia. Protestamur enim nos *non tropum fingere*, nec *aliud dicere, aliud intelligere*, nec *negare Deum esse verè ac realiter mortuum*, sed hoc intendimus, Deum non esse mortuum secundùm Divinitatem. Quòd verò ais à Nostrûm nonnullis propositiones istas ita explicari, ut *per nomen personæ subjecti loco positum intelligatur tantùm illa natura, cujus proprium in prædicato exprimitur*, id ambiguè dictum: Intilligitur enim vel *Naturam* illam esse subjectum *totale, quod, attributionis*, vel eam esse subjectum *proprium particulare, quo.* Prior sensus Nestorianus est, posterior Orthodoxus nobis communis. Sic *Keckermannus*; *subjectum passionis quod*, est " totus Christus, *subjectum autem quo*, sancta ejus caro, secundùm il-
" lud Apostoli, Deus passus est carne. Hinc *Wendelinus, exerc.* LII.
" Cæterùm, inquit, à me & Theologis nostris negari, Deum verè
" ac realiter passum esse, falsissimum est. Qui ex nostris ajunt, tan-
" tùm humanam naturam esse passam & mortuam, per exclusivam
" *tantùm*, à passione & morte non excludunt personam sed Natu-
" ram Divinam, & hoc unum volunt, Divinam Redemptoris no-
" stri Naturam non esse mortuam, contra portentosum quorun-
" dam de mortua Deitate effatum, quod plus quàm Eutychianum,
" & Nestorianum, quia prorsus Atheon. Hæc *Wendelinus.*

PHIL. Cur ergò *Herbornenses* dicunt; *Humana natura* Christi *tantùm mortua est, non Divina, non tota persona.* Utique hîc excludunt personam.

EIR. Non personam simpliciter intelligunt, sed *totam* personam, hoc est, utramque personæ naturam, ita ut aliud non dicant, quàm *non utramque naturam mortuam esse.*

PHIL. Annon ergò dici potest, utramque naturam mortuam esse?

Regionalbibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0063
Mecklenburg Vorpommern

EIR. Audi Tuum *Gerhardum* §. 198. Quidam ita loquuntur; " *Deitas est passa, Divinitas est mortua*, ita tamen ut addatur *in carne.* " Item, *Christus quoad utramque naturam passus, licet non in Divina.* " sed præstat ab hisce propositionibus abstractivis abstinere, quod " probamus 1. ex Scripturæ silentio. Nusquam enim dicit, *Deitas* " *est passa*, sed *Deus est passus.* 2. ex Deitatis natura, quia est ἀπαθὴς " ἄτρεπτος καὶ ἀναλλοίωτος. 3. ex periculo. Metuendum enim ne " propter usum harum propositionum error Theopaschitarum, " qui docuerunt Divinitatem in Christo doluisse & passam esse, cùm " caro ejus figeretur in cruce, *Ecclesiis* nostris affricetur. 4. ex uni- " onis conditione. Per unionem enim non sublatum est discri- " men naturarum, sed hypostasis λόγε facta est carnis ὑπόστασις " ad unam personam σύνθετον constituendam. Potest igitur ali- " quid de tota persona prædicari secundùm humanam Naturam, & " tamen minimè consequens est, idem quoque tribuendum Divini- " tati. Actiones & passiones sunt Personæ, non naturæ. Rectè " igitur dico, Deus est passus in carne, sed non, Divinitas τῦ λόγε est passa. Hæc *Gerhardus.* Rectè, accuratè. Tùm & idem §. 199. refellit ratiunculas eorum qui istiusmodi locutiones approbant. Inter alia notatu digna sunt hæc verba; Quando dicitur quòd Unus " Christus sint duæ naturæ & duæ naturæ sint unus Christus, non est " sensus, quòd quæcunque de Christo prædicantur de duabus natu- " ris prædicentur, ex quo multa sequerentur absurda, sed quòd Chri- stus nou sit tertium quid præter ambas suas naturas.

PHIL. Cur hæc existimas notatu digna?

EIR. Quia explicant illud quod *Herbornensibus* modò ob- jeceras.

PHIL. Unum adhuc quæram, *An voculæ istæ distinctivæ,*

κατὰ

κατὰ σάρκα, κατὰ πνεῦμα *ad ſubjectum an verò ad prædicatum referenda?*

EIR. Cum Gerhardo §. 191. referimus eas ad prædicatum. *Chriſtus paſſus eſt.* Quâ naturâ? σαρκὶ. Ut in his propoſitionibus; *Homo videt oculis, audit auribus, ambulat pedibus*, oculi, aures, pedes ad prædicatum pertinent. *Homo.* Quid Ille? *Videt.* Qua parte vel quo conjuncto inſtrumento atque particulari principio? *Oculis. Deus.* Quid ille? *Mortuus eſt.* Secundùm quam naturam? *Humanam*

PHIL. Unde verò agnoſci poteſt quæ ſecundùm Divinam, quæ ſecundùm humanam naturam de Chriſto in hoc genere prædicantur?

EIR. Reſpondebo verbis *Gerhardi* ex §. 190. ut videas quàm accuratè per omnia conſentiamus. Nimirùm proprietates alte-
" rutrius naturæ de perſona prædicantur aut ἁπλῶς aut προσδιορι-
" ςικῶς ac determinatè, qui προσδιορισμὸς effertur vel caſu abla-
" tivo vel per præpoſitiones διακριτικὰς, ἐν, ἐξ, διὰ, κατὰ &c. ſi
" προσδιορισμὸς expreſsè addatur, jam facile apparebit ſecundùm
" quam naturam talia de Chriſto prædicentur. Si verò omittatur,
" tunc ex circumſtantiis textus & fidei analogia inquirendum, ſe-
" cundùm quam naturā prædicatum Chriſto tribuatur. Quæ ipſam
" λόγου eſſentiam notant, vel tempus incarnationem antegreſſum
" reſpiciunt vel talem proprietatem continent, quæ humanæ natu-
" ræ eſſentiam evertit, ea ſecundùm Divinæ naturæ proprietatem
" accipienda ſunt. Sic quando Chriſtus dicit Ioann. 10. verſ. 30.
" *Ego & Pater unum ſumus*, id ipſam λόγου eſſentiam ejusque cum

 "Patre

"Patre ὁμοσίαν exprimit, Ergo ſecundùm Divinitatem dictum eſt
"accipiendum. Quando Ioann. 8. verſ. 56. Chriſtus dicit, *An-*
"*tequam Abraham erat, Ego ſum*, de tempore incarnationem ante-
"greſſo ſermo eſt, Ergo ſecundùm Divinitatem accipiendum.
"Quando Chriſtus dicitur infinitus & immenſus, ponitur in prædi-
"cato talis proprietas quæ naturæ humanæ utpote finitæ eſſentiam
"everteret, Ergò ſecundùm Divinam illud intelligendum. Contrà
"verò quæ paſſionem, mutationem, alternationem, vel etiam exi-
"nanitionem & exaltationem intrinſecam in tempore factam expri-
"munt, ea ſecundùm humanam naturam Chriſto tribui intelligen-
"dum, quia Divinitas eſt ἀναλλοίωτος καὶ ἀμετάβλητος. Sic lucu-
"lenter demonſtratum eſt, quoad *primum* Communicationis I-
"diomatum genus, nihil inter nos eſſe diſſidii. Reliquum eſt ut
"*ſecundum & tertium* excutiamus.

Eſt igitur, definiente *Gerhardo*, *ſecundum* Communicationis Idiomatum genus illud quo Divina *Majeſtas*, *gloria & potentia prædicatur de Chriſto ſecundùm humanam naturam per & propter unionem hypoſtaticam*, ſive, *quo Divina natura Filii propriam ſuam gloriam & excellentiam humanæ naturæ communicat manens ipſa paſſionum carnis expers.* Hæc primaria hactenus omnis controverſiæ materia fuit, adeò ut licet in reliquis omnibus conſentiamus, in hoc tamen quàm plurimùm diſſidere credamur. Noſtri enim ſecundum genus diſtrictè & conſtanter viſi ſunt negare, dum vos magno ardore illud propugnaſtis. Verùm rogo, animum pauliſper adhibeas, protinus omnia conciliata videbis. Primùm id cogita, quæſtionem hîc non inſtitui de hujus vel illius loci Sacræ Scripturæ genuina explicatione & apta allegatione; ſæpiſſimè enim in explicando genuino ſcripturæ ſenſu Theologi diſſident, licet in Orthodoxia conveniant. Sufficiet igitur monſtraſſe conſenſum in doctrina. Porrò ad alia Theologorum veſtrorum axiomata attende, quæ ſc. illi in explica-

tione Attributorum Divinorum & mysterii Sacrosanctæ Trinitatis docere solent. Statuunt omnes, firmiterque nobiscum contra Photinianos defendunt, *Attributa Divina in se ac per se considerata realiter & simplicissimè unum & idem esse cum Divina essentia*, sive, *nullum esse intrinsecum reale discrimen inter Dei attributa & ipsam Deitatem.* Sic *Gerhardus* de Natura Dei cap. 7. Tradunt porrò omnes & contra eosdem Hæreticos defendunt, *Infinitatem Omnipotentiam, Omniscientiam* &c. esse attributa *incommunicabilia*, h. e. talia quæ in nullam creaturam transferri possunt, unde firmiter atque ineluctabiliter concludunt, Jesum Christum verum essentialem Deum esse, ex eo quòd istiusmodi attributa de Ipso prædicentur. Attende porrò, quando vobis objicitur, *per communicationem Divinæ Majestatis factam humanæ naturæ vos proprietates essentiales ab ipsa essentia & à se invicem separare*, attende, inquam, quid respondeatis. Dicitis alienam sententiam vobis affingi, reos Vos agi criminis cujus estis innocentes, calumniis vos traduci. Quando objicitur, *Vos duas Omnipotentias, duas Omniscientias statuere*, negatis istud ac pernegatis. Dicitis nullam fieri Idiomatum Divinorum in humanam naturam *transfusionem* sed *Communicationem.* Quando quæritur, qualis sit illa *communicatio*, respondetis non alius esse generis, quàm est ipsa communicatio essentiæ Divinæ. Explicationem additis, communicationem illam non esse *Verbalem* tantùm, sed nec *Essentialem.*

" Quod unius naturæ in Christo proprium est, illud nunquam fit
" alterius naturæ proprium, sed ἰδιότης est & manet ἀκίνητος;
" Divina Idiomata nec per ἔκπτωσιν nec per ἔκρυσιν in carnem as-
" sumtam tanquam in aliud subjectum derivantur ac transfundun-
" tur, sed manent τοῦ λόγου propria, unde etiam communicatio
" non est nec dici potest essentialis. Dicitis porrò, illam Communi-
" cationem non esse *accidentalem.* Si enim, inquit idem *Gerhar-*
" *dus*, Divina illa Idiomata per accidens humanæ naturæ compete-

"rent, tum naturæ humanæ ſubjectivè ineſſent atque inhærerent.
" Id verò dici nequit cùm Divina Idiomata non ſint accidentia, nec
" ſubjectivè alteri inhærere poſſint. Negatis etiam communica-
" tionem iſtam *phyſica* & *naturalem* eſſe, ſic enim naturaliter
" humanæ naturæ competerent, quod abſit. Tandem aſſeritis, eam
" eſſe *perſonalem*. Ut enim, pergit *Gerhardus*, aſſumta natura in
" ipſam λόγῳ ὑπόστασιν per unionem perſonalem eſt evecta, ita
" quoque in κοινωνίαν ἰδιωμάτων in illa ipſa evectione eſt aſſumta.
" Divina Filii natura intra intimum ὑποστάσεως ſuæ complexum
" Divina idiomata retinet, aſſumendo autem naturam humanam in
" ſuam hypoſtaſin, eandem quoque in κοινωνίαν ἰδιωμάτων ſuæ il-
" lius hypoſtaſeos aſſumit, ac proinde humana natura Divinam
" majeſtatem habet non *à ſe* originaliter, ſed à λόγῳ nec *per ſe* eſſen-
" tialiter, nec *in ſe* ſubjectivè, ſed in λόγῳ verè quidem & realiter
" ſed tamen hypoſtaticè ac perſonaliter. Caro Chriſti vivificat
" non ſecundùm unionem cum vivente ac vivificante verbo, id eſt,
" non καθ' ἑαυτὴν ſed καθ' ἄλλο, propter arctiſſimam & puriſſi-
" mam ad λόγον unionem. Iterum idem edocetis, quando inter
" communicationem κατὰ μέθεξιν & κατὰ συνδύασιν diſtinguitis.
" Dicitis ἰδιώματα Divina manere τῷ λόγῳ propria, nec unquam
" aſſumtæ carni κατὰ μέθεξιν ita communicari, ut deſinant eſſe
" τῷ λόγῳ & fiant aſſumtæ carnis propria, interim quia caro in
" ipſam λόγῳ ὑπόστασιν aſſumta eſt ejusdemque particeps facta

utique

" utique etiam communicationem idiomatum κατὰ συνδυασιν
" esse factam. Similibus ista quodammodo illustratis; ut ignis se to-
" tum communicat & insinuat ferro ignito, ut anima per informa-
" tionem & animationem suas proprietates & operationes corpori
" communicat, ita Divina natura τῷ λόγῳ omnem suam gloriam
" & potentiam communicat assumtæ carni, sed sine conversione,
" confusione, absolutione & exæquatione. Ignis non fit ferrum,
" nec anima corpus, sed ferrum fit ignitum, corpus animatum.

PHIL. Rectè, sententiam nostram verè exposuisti.

EIR. Nimirum, eam ita concipio. Non solùm inter partes & totum sed inter compartes ad se invicem necessariò communicatio intercedit, Persona Christi sese habet quodammodo veluti totum, duæ naturæ in illa una persona sunt veluti compartes; est igitur illarum non solùm ad totam personam sed ad se invicem quoque plenissima communicatio.

PHIL. Ita quidem est, sed hoc notari à Te velim, communicationem istam non esse reciprocam, quamvis unio sit respectu suiipsius reciproca. Differentiæ ratio in eo consistit, quòd in unione ὁ λόγος sit assumens, caro autem sit assumta; ὁ λόγος assumsit carnem, sed caro non assumsit λόγον, sed est assumta à λόγῳ. Iam verò perfectio est assumti, non assumentis. λόγος à carne non perficitur, sed caro à λόγῳ. Quemadmodum si anima tantæ esset excelentiæ supra corpus, ut à corpore affici non posset, anima verò corpus intrinsecus animaret atque perficeret, non corporis ad animam, sed animæ ad corpus communicatio celebraretur. Verùm ista benè se habent; unum solùmmodò in sententia nostra restat quod nondum explicasti & ex quo suspicor te eam nondum perfectè intelli-

intelligere. Dixisti in hoc communicationis genere duas naturas spectari quasi compartes, quarum una Divina scilicet perficit alteram, puta humanam; judicasti quoque non posse communicationem hanc negari, positâ arctissimâ unione, & cùm Divina Natura sit communicata humanæ, Divinæque naturæ idiomata ab ipsa Divina natura reverâ non distinguantur, rectè concluisisti impossibile esse quin ipsa quoque Divinæ naturæ idiomata κατὰ συνδύασιν humanæ naturæ sint communicata. Sed nunquid vides ex hoc fundamento sequi, Carnem Christi omnia Deitatis attributa nullo excepto participare. Nos autem æternitatem, infinitatem immensitatē ei communicatam non dicimus sed omnipræsentiam solùm, omniscientiam, omnipotentiam & alias istiusmodi perfectiones.

FIR. Probè ista capio, consensui nihil obstant. Nostri quoque Theologi attributa Dei distinguunt in ἀνενέργητα & ἐνεργητικὰ. Ἀνενέργητα sunt, quæ ita absolutè considerantur ut per operationes exteriùs sese non exerant. Sic immensitas Dei nullam connotat actionem ad creaturas. Ἐνεργητικὰ verò sunt illa, quibus natura Divina ceu actibus substantialibus constat, quæque per operationes se exerunt erga res creatas. Quomodo considerantur Omnipotentia, Omniscientia, aliaque istiusmodi. Quamvis enim attricuta καθ' αὐτὸ intra Ipsum Divinitatis complexum considerata nihil aliud sint quàm simplicissima Dei essentia, quâ ratione nec ab essentia nec à se invicem distinguuntur; tamen si πρὸς ἔξω & ratione ἐνεργείας considerentur, à se invicem distinguuntur, alia enim opera tribuuntur Divinæ Omnipotentiæ, alia justitiæ, alia misericordiæ. Hâc distinctione positâ quam & nostri Theologi admittunt & vestri diligenter inculcant, certum est *absolutè* loquendo, ipsam quoque Æternita-

Æternitatem & Immensitatem carni Christi esse communicatam (nec enim communicata est Deitas, quin communicetur æternitas, cùm æternitas sit ipsa Deitas) sed tamen quoniam ista attributa in formali suo conceptu non includunt connotationem ad operationes extrinsecas, ita ut caro Christi eorum respectu non considerari possit tanquam conjunctum instrumentum in quo & per quod Deitas eatenus operetur, idcircò non soletis dicere humanam naturam Christi esse infinitam, æternam, immensam, quamvis fateamini infinitatem, æternitatem, immensitatem ipsi, eo quo supra explicavimus modo, esse communicatam. Audi in eam rem *Gerhardum*, §. 256. Quæcunque proprietates Divinæ naturæ ita sunt carni communicatæ, ut eas non tantùm per unionem personalem in ipsa " τῷ λόγῳ ὑποστάσα possideat sed etiam ὁ λόγος per operationem " eas in carne exerat, illæ sunt etiam ita communicatæ, ut de carne " assumta immediatè prædicentur. v. g. Omnipotentia τῷ λόγῳ ita " est assumtæ carni communicata, ut eam natura assumta non tan- " tùm in persona τῷ λόγῳ possideat, sed etiam ut ὁ λόγος Omni- " potentiæ opera per carnem exerat in omnipræsenti cœli ac terræ " dominio, in miraculorum operatione, in mortuorum resuscitati- " one &c. Ergò etiam Omnipotentia immediatè de assumta natura " prædicatur, ut possim dicere, Christus secundùm humanam na- " turam est omnipotens. Quæcunque verò proprietates ita sunt " communicatæ, ut caro eas in persona τῷ λόγῳ possideat, non " autem per operationem exerat, illæ non prædicantur immediatè " de assumta natura. V. gr. Infinitas τῷ λόγῳ non exerit se per as- " sumtam carnem, ergò etiam infinitatem non possum immedia- " tè de assumta carne prædicare. Causa quòd assumta caro omnes " Divinæ naturæ proprietates in persona τῷ λόγῳ sibi communi-

" catas habeat, & tamen non omnes & singulæ de assumta carne im-
" mediatè prædicentur, non est quòd κατ' ἔσω consideratæ reali-
" ter invicem distinguantur vel à se invicem separentur, sed quod
" κατ' ἔξω consideratæ in operatione sese non omnes exerant.
" Hæc *Gerhardus*, in quibus licet termini *mediatæ* & *immediatæ* prædicationis nonnihil sint obscuri, res ipsa tamen clara est. Sic igitur puto sententiam vestram planissimè evolutam esse.

PHIL. Nostram quidem sententiam rectè explicatam video, quo pacto verò vestram ei consentaneam esse demonstres, nondum assequor.

EIR. Tu igitur ad ea quæ docemus patientem animum adverte. Breviter te expediam. Principio in memoriam tibi revoca quæ de *Unione* diximus; Illam cùm arctissimam & in hypostase os communicatione sitam profiteamur, necesse est utique Deitatis ad humanitatem κοινωνίαν intimam & οἰκειοτάτην credamus existere. Quando igitur Deitas Christi est Deitas incarnata, ita ut ejus plenitudo in carne habitet, quis neget idiomata Divina donata esse carni, non quidem per transfusionem, non per *excidentiam* ex Deitate, non per *multiplicationem* ac novorum idiomatum procreationem, sed formaliter *in* & *per* unionem hypostaticam? Ut anima quando corpori unitur, in corpus non transfundit proprietates suas, nec corpus in se devenit spirituale, nec ex se vivit, sed vivit formaliter *in* & *per* unionem cum anima, ita Divina natura Christi humanæ arctissimè unita in eam non effundit idiomata sua, iis tamen eam intimè permeat, adeò ut caro possidendo Deitatem, in Deitate & Omnipotentiam possideat & Omnisciențiam & Omnipræsentiam & adorationis ἀξίωμα. Hoc sensu *Iosephus Hallus* Episcopus Oxoniensis, Theologus nostrarum partium pereximius in ep. de Pace Ecclesiastica affirmat; *Concessum utrinque esse humanam naturam*

person

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0072
Mecklenburg Vorpommern

perſonaliter eſſe Omniſciiam, Omnipræſentem, Omnipotentem & omnes Anglos Theologos non dubitare idem rotundè profiteri. Ipſe *Wendelinus Comp. Theol. Chriſt. l. 1. cap. 16.* id quoque concedit *quoad rem*, ſed exiſtimat inſolentem eſſe *loquendi modum*, comparatum ad errorem facilè concipiendum. Memineris autem, mi *Philalethes*, nos de re ipſa diſceptare, non de *loquendi modis*.

PHIL. Quis verò ille error eſt, in quem modus iſte loquendi, ſecundùm VVendelini ſuſpicionem, inducit? fortè veram noſtram ſententiam, errorem nominat.

EIR. Audi ipſum; Lutherani intelligunt, *Humanam naturam eſſe Omnipotentem & Omnipræſentem, non quidem ex proprietate humanæ naturæ; ſed ex unione cum λόγῳ Omnipotente & Omnipræſente quæ* EFFECERIT, *ut quamvis non ex ſe, tamen* IN SE *eſſet Omnipræſens & Omnipotens, per communicationem Omnipotentiæ & Omnipræſentiæ Divinæ.* Qui error eſt graviſſimus, à nobis conſtanter improbatus.

PHIL. Rectè; ſed nunquid audiviſti *Gerhardum* proteſtari nunquam ſe docuiſſe, *carnem Chriſti* IN SE *ſubjectivè eſſe Omnipotentem*; nunquam ſe affirmaſſe, duas Omnipotentias, quarum altera eſſet Divinæ, altera humanæ naturæ? Quid igitur nobis error ille imputatur? ſed an præter *Hallum* etiam alii veſtri Theologi ſunt qui idem docent?

EIR. *Quoad rem*, Omnes; quoad *modum loquendi*, audi *Zanchium*; in Præf. libri de Relig. ad Lector. *Caro Chriſti dici poteſt ſine ulla contradictione Omnipotens & non Omnipotens, ubique præſens & non ubique præſens, diverſis nimirum reſpectibus. Suâ enim propria* ἀσίᾳ *non eſt; eſt ipſa* ὑποστάσει, *quæ illi cum natura Divina communis eſt.* Idem l. 2. de *Incarnatione*, *Ego certè*, inquit, *non contradixero, & ita omnes Docti ac Pii concedunt, humanam Chriſti naturam perſonaliter eſſe Omnipotentem, ubique præſentem.* Et paulò poſt; *Non incongruè dicitur*

determinatio ipſa: in ſe, non jungitur voci ei ſubjecto nempe humanæ naturæ ſed vocabulum ei ſubjectum reſpicit, nempe: unio cum λόγῳ omnipot. et omnipr. effecit, ut in ſe (in iſto λόγῳ et ipſa unitum) ſubjective ſit omnipotens.

tur caro personaliter Omnipotens & ubique præsens, quia licèt talis non sit realiter in se ipsa, est tamen talis in persona.

PHIL. Etiamsi *Zanchius* hunc loquendi modum indulserit, quæ tamen concessit, statim videtur retractare sequentibus verbis *in* " *præf. de Relig. ad Lector.* Ne tibi à Sophista aliquo fiat fucus, hanc " nota meorum dictorum explicationem. Cùm dicimus propriâ " οὐσίᾳ Præsentem non esse, id bifariam intelligi potest. Primùm " hoc sensu, ut secundùm quæstionem quæ τὸ ὅτι quòd sit, voca- " tur, ipsa carnis Christi substantia realiter præsens esse dicatur, non " sua cognitione, non suo imperio, non etiam τῇ ὑποστάσει tantùm, " sed reali ac propriâ suâ οὐσίᾳ: quo sensu λόγῳ quoque suâ οὐσίᾳ " ubique esse verè prædicatur, quòd suâ οὐσίᾳ omnia implet. De- " inde hoc altero sensu, ut secundùm quæstionem τῷ διότι quare sit, " causa quæratur, cur ubique præsens suâ οὐσίᾳ esse dicatur: U- " trum hoc habeat ex sua natura seu οὐσίᾳ, an verò ex gratia dono- " que unionis hypostaticæ: quo sensu λόγῳ etiam dicitur Deus " esse, & omnipotens suâ οὐσίᾳ: quòd hoc habeat non ex gratia, " sed ex sua natura atque οὐσίᾳ, Priori sensu effatum illud probant " Lutherani, nos rejicimus; Posteriori & Illi & Nos negamus. " Quoad priorem igitur dissensus est.

EIR. Ain verò, mi Philalethes, vosne statuitis carnem Christi *in se suaque essentiâ* esse infinitam?

PHIL. Minimè id quidem.

EIR. Ergò dissensus nullus est. Eos enim solùm arguit *Zanchius*

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0074
Mecklenburg Vorpommern

Zanchius qui carnem Christi *formaliter suâ essentiâ* adeoque intrinsecus subjectivè omnipotentem & immensam dicunt. Quod ut adhuc clariùs percipias, audi eundem ex libr. *de Relig. c.* XI. §. 11. Si- " cut tanta est vis unionis, quæ est inter Patrem & Filium, ut etiam " nihil agat, nihilque boni mundo communicet, nisi per Filium: sic " tanta etiam est vis unionis hypostaticæ duarum naturarum, ut ni- " hil gratiæ, nihil salutis, nihil vitæ in nos à Deitate, nisi per humani- " tatem fide à nobis apprehensam fluat: ut omninò necesse sit carni " Christi copulari, si quis vitæ æternæ particeps esse velit: quò per- " tinet illud Christi, Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non " habebitis vitam in vobis. Ex quibus verbis manifestè patet *Zanchium* carni Christi omnipotentiam, omnipræsentiam, vim vivificantem attribuere, non *subjectivè* quidem, *inhæsivè primùm*, *essentialiter*, sed *personaliter*, δευτέρως, *in per* & *propter unionem*, tanquam instrumento hypostaticè conjuncto, in quo & per quod Divina natura proprietates illas exerit. Sed quid *Zanchium* solùm laudamus; Audi *Pareum* in Irenico: Si Christus homo est Deus, utique non a- " lienâ ut Petrus, sed propriâ suâ virtute miracula fecit. Docemus " verò hanc virtutem propriam fuisse Deitatis formaliter, humani- " tatis *personaliter*, propter unitatem hypostaseos. Audi in eum quoque finem *Diestium* Nostrum *in Disput. Inaug. habita Basileæ ao. 1621. sub præsidio Venerandi Theologi Sebastiani Beckii*, §. 25. *Concedimus naturam Divinam realiter quoque participem factam esse, ut Divinæ naturæ, sic & proprietatum ejus, at non in se ipsa, sed in λόγῳ eam sustentante.* Item *Werenfelsium* & *Grynæum* Disput. sub eodem *Beckio* Basileæ 1615. habita §. 20. *Quin hoc verissimè de Humana Natura asserimus, realiter eam per unionem personalem participem factam esse, ut Divinæ naturæ, si omnium Ejus proprietatum essentialium, sed in λόγῳ eam sustentante, eo videlicet* MODO, QUO DUORUM UNITO-

RUM ALTERI, IN ALTERO, QUICQUID EJUS EST, REALI COMMUNIONE COMMUNICATUR, UNUMQUE ALTERIUS IN ALTERO FIT PARTICEPS. Idem reliqui omnes Noſtri Theologi reverâ ſentiunt, quorum teſtimonia brevitatis cauſa prætermitto.

PHIL. Iſta quidem ſunt ſpecioſa dictu, ſed vix mihi perſuadere poſſum ut credam hactenus nos conſenſiſſe reverâ, & tamen tantas agitaſſe turbas.

EIR. Quin porrò attende ad ea quæ *Zanchius*; Unio, inquit hypoſtatica efficit, ut Deitatem in Chriſto adorare non poſſimus, " niſi ſimul humanam quoque in Eo naturam adoremus, utque om " ninò unâ tantùm adoratione, à nobis adoranda ſit tùm humana " tùm divina natnra, juxta illud; Et cùm introducit primogenitum " in orbem terrarum i ait: Et adorent Eum omnes Angeli ejus: Eum " (inquit) id eſt, totum, Deum & hominem ſimul: cùm tamen hu- " mana natura per ſeſe & in ſe ſola conſiderata, adorari non poſſit " nec debeat, ſolus enim Deus adorandus eſt. Sed unio, non qua- " liſcunque, verùm hæc hypoſtatica divinæ naturæ cum humana " hoc efficit. Proind e licèt in ſanctis habitet Deus, adorandi ta- " men non ſunt, nec invocandi ſicut Chriſtus homo. Magnam " igitur vim eſſe fatemur hujuſce unionis de qua loquimur, ſed uni- " onem tamen dicimus, quæ omnem excludat confuſionem & " transfuſionem. Hæc *Zanchius de relig.* C. XI. Idem lib. 2. de tribus Elochim C. 1. Flectetur etiam omne genu homini Chriſto, " verùm non ſimpliciter, ſed QUIA ὑποστατικῶς unita eſt illa hu- " mana natura cum Divina. Item *de Filii Dei incarnatione l.* 2. Cum " Athanaſio, cum ſynodo Epheſina, Cyrillo, & aliis Patribus ſen- " timus adorandam eſſe carnem Dei, id eſt, Chriſti, quia pars eſt per- " ſonæ, quatenus aſſùmta eſt in unitatem perſonæ. Eadem *Beza* ad *quartam libri Brentiani partem de adoratione Chriſti*; Profitemur nos planè aſſentiri iis quæ ex Auguſtino citat. In Chriſto Domino humani-

humanitatem non ſolam aut nudam ſed Divinitati ſuæ unitam, u-
" num Dei Filium, Deum verum & nominem Verum, qui adorare
" contemſerit, æternam mortis pœnam patietur. Sit ſanè illa ca-
" ro Dei, non Deus; ac proinde adoretur, non nuda ſeu per ſe con-
" ſiderata, ſed ut ejus caro, qui cùm Deus ſit, non adorari totus ſine
" extremo exitio non poteſt. Eadem *Martyr in L. C.* Carnem Chri-
" ſti adorandam eſſe PROPTER Conjunctionem quam habet cum
" natura Divina, minimè inficiamur. Accedat *Sohnius tom. 2. oper.*
" *in expli. Pſalm. 65.* Chriſti carnem adorandam eſſe quidam Or-
" thodoxi Patres ut Cyrillus contra Neſtoriũ dixerunt, non ratione,
" eſſentiæ, ſed ratione hypoſtaſeos ſeu ſubſiſtentiæ, & QUIA non
" alicujus per ſe hominis, ſed Filii Dei caro eſt per unionem hypo-
" ſtaticam. Agmen claudat *Bucanus L. XXVIII.* Humana Chri-
" ſti natura in ſeſe conſiderata adorari non poteſt, cùm ſit creatura,
" ſed tantùm quatenus perſona Filii Dei inſeparabiliter unita eſt.
" Adoratur enim una hypoſtaſis unâ adoratione cum carne ejus.

PHIL. Quid inde concludis?

EIR. Si Chriſti caro adoratur, eſt adorabilis; Atqui adora-
bilitas eſt ipſiſſima *Deitas, cum connotatione ad officium Creaturarum intelligentium.* Ergò caro Chriſti non eſt *in ſe* & *ex ſe* adorabilis, ſed *in* & *per* & *propter* λόγον cum quo hypoſtaticè eſt unita. Ergò caro Chriſti in λόγῳ eſt adorabilitatis particeps facta, Ergò adorabilitas Ipſi eſt communicata. Non quidem communicatione tranſfuſiva aut *effectiva*, quaſi caro Chriſti in ſe ipſa *eſſentialiter, ſubjectivè & directâ ultimatâ terminatione* ſit adorabilis, ſed κοινωνίᾳ *perſonali.* Abſit ut duas fingamus adorabilitates, abſit ut adorabilitatem negemus æternè-immutabiliter proprium ſolius Deitatis attributum. Unde ſequitur, Quando Theologi noſtri aſſeruerunt Chriſti carnem adorabilem, IN λόγῳ PROPTER & PER λόγον, QUIA unita eſt λόγῳ, non

non hunc fuisse sensum, quasi unio illa vel λόγῳ adorabilitatem in carnem transtulerit vel novam produxerit, sed ipsum *formale* participationis illius his verbis insinuaret. Quod si autem Doctores Nostri hoc sensu carni adorabilitatē ascripserunt, nunquid eodem sensu reliqua non magis propria Deitatis attributa de Carne prædicent?

PHIL. Verùm cedo, mi Eirenophile, si hæc ita se habent, ut mihi jam persuasisti, quid adeò acriter hactenus inter tot eruditione & ingenii subtilitate præstantes Viros dimicatum est.

EIR. Dissidium de *Præsentia sacramentali* has potissimum turbas excitavit. Nonnulli enim sive fervidiores sive indoctiores, cùm præsentiam corporis Christi in Sacra Cœna defendere instituissent, ad *Omnipræsentiam* delapsi sunt, quam postea minùs commodè, interdum etiam erroneè explicarunt, unde Nostris semper de Eutychianismo fuerunt suspecti, qui proinde omnes eò flexibiles propositiones rejecerunt. Hinc illi tumultus.

PHIL. An ergò communicatio omnipræsentiæ Divinæ facta carni per unionem hypostaticam, non est fundamentum præsentiæ sacramentalis?

EIR. Respondeat *Gerhardus* §. 264. Non debet confundimodus præsentiæ personalis & Majestaticus, cum præsentia sacramētali. Præsentia sacramentalis unicè dependet ex institutione & ordinatione Christi. Quòd autē sessio ad dextram Dei pro fundamēto sacramentalis præsentię adducitur, id propterea fit, quia Calviniani blasphemè negant, Christum quod promisit præstare posse: Quibus verbis *Gerhardus* nobis quidem injuriam facit, nec enim Nostrûm quisquam eò blasphemiæ devenit, ut negaret Christum quod promisit præstare posse; satis tamen luculenter docet, *Omnipræsentiam*, quam in λόγῳ participat caro, non esse fundamentum præsentiæ sacramentalis, nisi quatenus inde concluditur facultas, quam Christus habet sistendi suum corpus ubi vult. Hinc ibidem addit;

Voluntatem

" *Voluntatem* igitur Christi ex verbis institutionis unicè probamus;
" *Facultatem* ex communicata Christo per unionem & sessionem ad dextram Dei, infinita Majestate ac potestate.

PHIL. Restat tamen adhuc scrupulus de *Omnipræsentia* humanæ naturæ Christi, de qua vix impetrare à me possum ut credam, nos eadem semper sensisse, vel adhuc sentire, cùm tot librorum volumina hujus controversiæ plena sint.

EIR. Ex iis quæ jam diximus, proclive erat quascunque suspiciones dispellere. Verùm age de *Omnipræsentia* igitur adhuc distinctiùs aliquid dissertemus. Sic igitur *Gerhardus* §. 218. Omnipræsentia in duplici significatione sumitur. Primò ut notet præsentiam carnis ad λόγον & λόγε ad carnem per ἀδιαστασίαν sive indistantiam ex unione & περιχωρήσει personali immediatè profluentem. Quia enim caro Christi in primo statim incarnationis momento in ipsam λόγε ὑπόστασιν est evecta, eidemque personaliter unita, ideò post factam incarnationem, nec ὁ λόγος est extra carnem nec caro extra λόγον. De hac intima carnis ad λόγον præsentia nullum est dissidium. Secundò notat *præsentissimum* ac *potentissimum dominium*, quo Christus ad dextram Dei evectus omnia in cœlo ac terra plenâ Majestatis suæ exertione conservat & gubernat. De hac posteriori visi sumus contendere. Et reverâ quàm multos non solùm incommodè locutos, sed & malè sensisse haud dubito, quorum nec dicta excusare nec sententiam nobiscum conciliare laboro. Non nisi cum *Gerhardo* mihi nunc res est. Is igitur *Omnipræsentiam* carnis nec per continuam extensionem molis, nec per infinitam multiplicationem corporis, nec per localem indistantiam definit, sed per *præsens dominium*. Quo nihil aliud innuit, quàm Jesum Christum Mediatorem non in solâ Dei formâ, sed

 in carne

in carne & per carnem Regium ſuum officium adminiſtrare, adeòque in carne & per carnem dominium ſuum ubique præſentiſſimum in omnia exercere, & cùm dominium iſtud in *omnibus locis præſentiſſimè* exerceat, hinc eatenus ipſam carnem omnibus locis præſentem eſſe, non utique præſentia *locali, quantitativa, corporea, eſſentiali*, ſed *virtuali* & *perſonali* quæ in uſu dominii Mediatorii conſiſtit. Nunquid idem docet *Zanchius* his verbis; *Chriſtus nihil ſecundùm Deitatem præſtat, cui non aut conſentiat aut ſubſerviat Humanitas. Deitas nihil gratiæ, nihil ſalutis, nihil vitæ nobis concedit niſi per humanitatem.*

PHIL. Attamen *Gerhardus* carnem Chriſti ſubſtantiâ ſuâ ubique præſentem eſſe dicit.

EIR. An dicit eam ubique eſſe localiter? Minimè id verò. Eam enim *in ſe ſubjectivè* perpetuò finitam ſtatuit. Ergò carni Chriſti ſubjectivam omnipræſentiam non adſcribit. Equidem ex omnium Orthodoxorum ſententia *Omnipræſentia* eſt ipſa Dei immenſitas cum relatione atque connotatione ad Creaturas. Jam autem non duas ſtatuitis immenſitates, nec duo Supremo Statuitis dominia. Ergò vel neceſſe eſt illis attributis Deitatem exui, vel humanitatem intrinſecus ſubjectivè per translationem à Deitate factam illis non indui, ſed proprietates iſtas ἀκινήτως eſſe Deitatis. At certum eſt, attributa illa ex Deitate non excidere, Ergò manifeſtè relinquitur nec humanitatē iſtas perfectiones intrinſecùs ita accepiſſe, ut formaliter inde in ſe ſit immenſa & Deitati exæquata. Verùm de his jam plus ſatis.

PHIL. Antequàm hinc diſcedamus, reſtat quod perconter. An & finitas perfectiones atque dotes in naturam humanam collatas creditis?

EIR. Maximè. *Donata eſt Ipſi potentia & ſcientia omnium rerum creatarum cæleſtium ac terreſtrium potentiam & ſcientiam longiſſimè ſuperans, ſed quæ finita tamen.*

PHIL. Easdem dotes & nos credimus in eum collatas & eas

F. Gerhardus carni Chriſti non adſcribit ſubjectivam omni præſentiam, ſi extra unionis ſtatum conſideratur. Sed in unione, per quam ſua natura ſubſiſtit in hypoſtaſi divina, ea hypoſtaſi etiam cum divina natura omnipræſens ab ipſo cenſetur.

eas quidem *subjectivè* atque *habitualiter* ipsi inhærentes.

EIR. An eodem modo infinita Deitatis attributa humanitati insunt?

PHIL. Nequaquam.

EIR. Ergò vel hinc iterum consensus patet. Restat igitur *tertium* & *ultimum* Communicationis genus, quod recenset Gerhardus, ac §. 282. definit, *esse id quo in operibus officii utraque natura agit quod sibi proprium est cum communicatione alterius.* De hoc nulla omninò est controversia, modò vocem communicationis non seciùs capias. Quod ne fiat, ipse *Gerhardus* cavit, quando hanc propositionem, *Persona Christi operatur in utraque natura cum communicatione alterius*, facit æquipollentem huic; *utraque natura in Christo operatur cum communicatione alterius quod cujusque proprium est.* Porrò hoc communicationis genus verbis Damasceni explicat, quibus nos quoque per omnia astipulamur; In Christo Do-
" mino nostro, inquit, δύναμις θαυμάτων fuit ἐνέργεια Divinita-
" tis, ἡ δὲ χειρουργία καὶ τὸ θελῆσαι καὶ τὸ εἰπεῖν θέλω καθαρίσθητι hu-
" manitatis ipsius erat ἐνέργεια. Ἀποτέλεσμα humanitatis erat pa-
" num fractio, & quod audierit leprosus, volo; divinitatis verò pa-
" num multiplicatio & leprosi mundatio, per utrasque enim & ani-
" mæ & corporis actiones unam & eandem congeneam & æqua-
" lem demonstrat sui ipsius actionem. Ut enim agnoscimus na-
" turas unitas τὴν ἐν ἀλλήλαις ἐχούσας περιχώρησιν & earum diffe-
" rentiam non negamus, sed & numeramus & easdem inseparabiles
" ὡς διαιρέτας agnoscimus, ita quoque voluntatem & ἐνεργετῶν
" actionum καὶ τὸ συναφὲς γινώσκομεν καὶ τὸ διάφορον ἐπιγινώσκομενῶ
" conjunctionem & differentiam agnoscimus & numeramus &

" divisionem haudquaquam introducimus. Et postea. Unus
" est & hoc & illud existens τοῦτο κἀκεῖνο ὢν καὶ ὅτως κακείνως ἤτοι
" θεϊκῶς καὶ ἀνθρωπίνως θέλων καὶ ἐνεργῶν Divinitus & humanitus
" volens & agens. Duas igitur ἐνεργείας in Christo astruere ne-
" cessarium propter duas naturas διὰ τὸ διττὸν τῆς φύσεως. Nam
" quorum natura diversa, illorum diversa actio, & viceversâ,
" ὧν γὰρ ἡ φύσις παρηλλαγμένη, τούτων διάφορος ἡ ἐνέργεια, καὶ ὧν ἡ
" ἐνεργεια παρηλλαγμένη, τούτων ἡ φύσις διάφορος. Et è diverso,
" quorum natura est eadem, eorum etiam ἐνέργεια est eadem, &
" quorum ἐνέργεια est una, eorum quoque natura est una secun-
" dùm divinorum interpretes Patres. Cum hisce ex Damasceno
" adductis consonat regula Scholasticorum. Agere est suppositi,
" personæ seu ὑποστάσεως, sed forma seu natura est agendi causa.
" Scal. ex. 251. Actiones sunt singularium, ut sunt singularia.
" Philosophi distinguunt inter subjectum quod & subjectum quo.
" Subjectum quod est ipsum suppositum sive compositum quod
" operatur. Sic in hoc nostro argumento subjectum quod est
" Christus, persona illa quæ est Deus & homo: subjectum quo est
" natura humana vel divina, secundùm quam Christus dicitur o-
" perari, agere vel etiam pati. Ubi tamen nomine naturæ intelli-
" guntur etiam ἰδιώματα: naturæ ἐνέργεια est ipsa operatio, seu
" mor io vel actio quę proficiscitur ex natura, seu proprietate natu-
" rali, quia natura hîc consideratur, quatenus in ea est facultas seu
" vis operandi. Ἐνέργημα est effectum ἐνεργείας, quare refertur
ad hanc

" ad hanc vel illam naturam. Ἀποτέλεσμα est effectum commune
" ex utriusque naturæ operatione proveniens, quod Damascen.
" d. l. vocat ἐνέργειαν θεανδρικὴν. Declarari hæc possunt exem-
" plo hominis. Homo est ἐνεργῶν, videlicet totum illud suppo-
" situm sive compositum. In uno illo homine est corpus & ani-
" ma, quæ sunt essentiales ejus partes, utriusque alia est natura, alia
" proprietas, ergò etiam alia ἐνέργεια. Quædam igitur tribuuntur
" toti Christo secundùm alterutram partem, videlicet vel ratione
" animæ vel corporis, quædam verò secundùm utramque partem,
" in quibus sc. & animæ, & corporis natura, proprietas, efficacia
" & actio concurrunt, ut quando dico: Homo loquitur, scribit,
videt &c. Rectè hæc omnia & penitus nostris consentanea pro-
fitemur.

Hinc igitur vides, mi PHILALETHES, controversiam, quæ tanto cum fervore hactenus agitata fuit, quæque visa est legitimum deplorandi schismatis fundamentum, in fallacibus verborum ambiguitatibus & nugatoriis Scholasticorum strophis consistere. Si quis adhuc subtiliùs ista rimari & distinctiones suas Metaphysicas ingerere velit, ille sciat se intelligendo facere nihil ut intelligat. Ἀνεκφώνητον, ἄῤῥητον, imperscrutabile, Angelorum & Hominum omnium captum transcendens Unionis hypostaticæ mysterium esse utrinque constanter docetur; & tamen quando descenditur, nihil reliquum facimus; omnia plana, clara, centum distinctionibus subdivisa, explicata atque τετράχηλισμένα, postulamus, vixque Mathematici explicatiùs Trianguli naturam tradunt quàm Nos de St. Trinitatis & Unionis hypostaticæ mysteriis videmur disceptare. Quæ magna profectò insania est. Dicimus illa perfectè describi & perspici

perſpici non poſſe, facilius que doceri QUID NON SINT, quàm QUID SINT, & tamen illa quàm accuratiſſimè ſecundùm omnes Logicorum regulas examinare & definire præſumimus. An ergò eaquæ intelligi non poſſunt, intelligamus, Magne Deus, quanta ingeniorum noſtrorum eſt intemperies! Quàm plerorumque Chriſtianorum ſtudium à Pietate & probitate ad inanes contentiones & vanæ eruditionis oſtentationem eſt converſum! Dum de Unione hypoſtatica contendimus, unionem Eccleſiæ ſolvimus, Ipſumque Chriſtum diſcerpimus, neſcio certè an auſu minùs nefario, quàm quo Neſtorius ipſe Redemtorem Noſtrum dilaceravit! Da nobis meditari noſtram imbecillitatem, Magne Deus! da cogitare, quòd nunc non niſi *ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus*, quòd *quando perfectum venerit, tunc demum, quod ex parte eſt*, tolletur, noſtraque cognitio conſummabitur!

Hæc ubi EIRENOPHILUS ac Philalethes diſſertaſſent, ſibique invicem promiſiſſent quòd de aliis quoq; inter diverſarum partium Theologos agitatis controverſiis alio tempore eſſent meditaturi, & quantum illi diſſideant, vel conſentiant, accuratiùs exploraturi, finem huic διαλέξει impoſuerunt.

FINIS.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0084
Mecklenburg Vorpommern

perſpici non poſſe, facilius que doceri QUID NON SINT, quàm QUID SINT, & tamen illa quàm accuratiſſimè ſecundùm omnes Logicorum regulas examinare & definire præſumimus. An ergò eaquæ intelligi non poſſunt, intelligamus, Magne Deus, quanta ingeniorum noſtrorum eſt intemperies! Quàm plerorumque Chriſtianorum ſtudium à Pietate & probitate ad inanes contentiones & vanæ eruditionis oſtentationem eſt converſum! Dum de Unione hypoſtatica contendimus, unionem Eccleſiæ ſolvimus, Ipſumque Chriſtum diſcerpimus, neſcio certè an auſu minùs nefario, quàm quo Neſtorius ipſe Redemtorem Noſtrum dilaceravit! Da nobis meditari noſtram imbecillitatem, Magne Deus! da cogitare, quòd nunc non niſi *ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus*, quòd *quando perfectum venerit, tunc demum, quod ex parte eſt*, tolletur, noſtraque cognitio conſummabitur!

Hæc ubi EIRENOPHILUS ac Philalethes diſſertaſſent, ſibique invicem promiſiſſent quòd de aliis quoq; inter diverſarum partium Theologos agitatis controverſiis alio tempore eſſent meditaturi, & quantum illi diſſideant, vel conſentiant, accuratiùs exploraturi, finem huic διαλέξει impoſuerunt.

FINIS.

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 309
Patch reference numbers on UTT
UB Rostock 05/4000
the scale towards document
Regional-bibliothek Neubrandenburg
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1018476466/phys_0089
Mecklenburg Vorpommern